

MOLZA (Francesco Maria)

CARMINA VARIA (2737 vers)

Le texte donné ici est celui de l'édition, faite à Bergame en 1750, des *Carmina inedita ex autographo auctoris*, ce qui explique sans doute le grand nombre de vers lacuneux, soit qu'il s'agisse de vers ébauchés, soit que certains passages soient illisibles. Nous n'avons risqué que quelques restitutions plausibles.

## AD IULIUM ...

C\_1 v.1 Virtutem cunctis rebus praeponere, Juli,  
 2 non dubitem, fortis munere posthabito.  
 3 Divitiis alius fulvo quoque splendeat auro,  
 4 alter et ingentes extruat arte domos.  
 5 Alter ad extremos populos, eat alter ad Indos,  
 6 a Borea ad Gangem vel Scythicasque nives.  
 7 Atque alius teneat, quae multi jugera tauri  
 8 invertunt, Cererisque horrea plenavidens.  
 9 Alter in adversos hostes eat, alter in undis  
 10 per freta caeca velit sollicitare rates.  
 11 Me juvet in parva componere carmina cella,  
 12 me juvet in libris consenuisse meis.  
 13 Me mea paupertas delectet, me mea cura  
 14 angat, in umbrosis stet mea Musa locis.  
 15 Sit satis aestivos soles vitare sub umbra  
 16 arboris ad rivum lene sonantis aquae.  
 17 Atque mihi placeant olentes floribus horti,  
 18 quos muniant parvae vimina junca casae.  
 19 Me spectare juvet, quo sit ponenda colono,  
 20 Planta ferax rivos quae bibat irriguos.  
 21 Haec placidae sint longa meae, et grata otia menti  
 22 dulcia. Haec magnae sint mihi divitiae.  
 23 Divitias orbis superat, carissime Juli  
 24 virtus, mortales si facit illa Deos  
 25 nescia fortunae, contentaque vivere parvo est ;  
 26 quippe modum in rebus praeteriisse nefas.  
 27 Quod natura dedit nobis, vivamus in illo,  
 28 hoc est cuique satis, vivere ne pereat.

## AD ALBERTUM LOLIUM

C\_2 v.1 Qui cupit, o Loli, felicem degere vitam,  
 2 securus ruri transeat ille dies.  
 3 Rura voluptates praestant, grata otia vates  
 4 sumunt, rure levi sibilat aura sono.  
 5 Et volucres querulas emittunt gutture voces,  
 6 et passim in pratis pascitur omne pecus.  
 7 Fenora dant segetes, oneratis vina racemis  
 8 pressa ferunt domino rura beata suo.  
 9 Rura levant curas tristes, placidamque quietem,  
 10 et molles somnos pacis amica ferunt.  
 11 Haec olim heroas Curios habitasse, feruntque  
 12 haec et Scipiadas, Fabriciosque graves.  
 13 Aurea Saturnum referentem saecula beatum

14 fecerunt magnis rura habitata Deis.  
 15 Quidquid ad humanae respectat commoda vitae  
 16 praebent rura, animi, corporis atque bonum.  
 17 Quodque magis, laudare bonum cum saecula civem  
 18 vellent, laudabant tunc nisi ruricolam.  
 19 Fortis arator erat bello, fortissimus armis,  
 20 et clypeo magnus, clarus et arte togae.  
 21 Non puduit veteres Romanos vertere terram,  
 22 non durum curvo frangere dente solum.  
 23 Saepius et stiva ad fasces veniebat in urbem,  
 24 pascebatque suas ipse Senator oves.  
 25 Nec fuit opprobrio sanctum degisse Senatum  
 26 in prato, atque humili tunc habitasse casa.  
 27 O fortunatos illos qui rura colebant,  
 28 o tunc felices qui coluere casas.  
 29 Nam vere vitam tunc agnovere beatam,  
 30 ipse timor ferri tunc procul omnis erat.  
 31 Non enses, galeae, ferri non horrida massa  
 32 tunc fuit, immitis nec faber ullus erat ;  
 33 sed ferro subigebat humum contentus arator,  
 34 edoctus plaustro jungere colla boum.  
 35 Rura igitur quicumque colit, clarissime Loli,  
 36 delicias omnes hic habet, estque probus.  
 37 Hic pacem quaerit, qui rus colit ; arva colenti  
 38 curae absunt tristes, et procul invidia est.  
 39 Et sua discedens terris vestigia fixit  
 40 iustitia in nivea ..... rura toga.  
 41 Rura igitur, Loli, laetus cole, sacra colentem  
 42 te facient tandem rura, Deumque, vale.

## AD IOHANNEM SANSEVERINUM

C\_3 v.1 Virtutem labor insequitur, Clarissime Princeps,  
 2 gloria difficili parta labore venit.  
 3 Virtus nec plumis capitur, nec cantibus ullis  
 4 non vini cyathis, nec laqueo Veneris.  
 5 Odit delicias, pretiosaque balsama virtus  
 6 pectora contemnit mollia, dura petit.  
 7 Noctes atque dies duros perferre labores  
 8 est opus, et longos pervigilare dies.  
 9 Qui cupit aeternam per saecula quaerere famam,  
 10 qui cupit aeternum vivere magnanimus,  
 11 huic opus est tolerare famem, perferre calores  
 12 aestivos, glacies, immodicamque sitim.  
 13 Inclita nam virtus ad summa cacumina tendit,  
 14 principio cunctis semper amara suo est.  
 15 Hunc callem quondam fortis superavit Achilles,  
 16 Hannibal hoc caeso militat hoste potens.  
 17 Caesaris ingentes extollit fama labores,  
 18 Pompeiumque canunt splendida facta ducem.  
 19 Hoc nisi principium fecisset cura laboris  
 20 virtutis, non tu tantus, Homere, fores.  
 21 Illustris non ter superasset Scipio Poenos,  
 22 quos post Romano subdidit imperio.  
 23 Laus in Alcida, Nemeum stravisse leonem,  
 24 saevaque Tartareo vincla dedisse cani.  
 25 Anguem Lernaem domuisse haud infima laus est :  
 26 hoc Deus Alcides factus et ex homine est.  
 27 Romanos orbis dominos fecere labores,  
 28 haec Curios magnos extulit, haec Decios.

29 Virtus mortales aeternos efficit una,  
30 ex homine in summum vertit et illa Deum.

## AD FEDERICUM SCOTUM

C\_4 v.1 Quid dulces spernis fontes ? Quid grata Camenis  
2 otia ? Cur solitos non sinis ire pedes ?  
3 Pectora cur duro tua nunc adamante rigescunt ?  
4 Evenit hoc ne animae quod data cura tuae ?  
5 Hoc si sit, curare velim te carmine nostro,  
6 ne veniant humeris pondera tanta tuis.  
7 Crediderim potius, dum tetrica jura revolvis,  
8 non placidas menti posse subire Deas.  
9 Te graviora tenent, altis dum rebus adhaeres,  
10 gloria nec studii te movet ulla levis.  
11 Hoc nobis quodcumque tamen sit debile quamvis,  
12 quod studiis tribuit munera parva Deus.  
13 Tempus in hoc totum, seu nocte dieque libenter  
14 contero, nec rerum me movet altus honos.  
15 Non ego divitias, aurum Crassique requiro  
16 divitis aut opto regna opulenta Midae.  
17 Sit mihi parva satis bene culto messis in arvo,  
18 praebeat ut varias pinguis agellus opes.  
19 Sit satis et juncus casulae qui floreat hortus,  
20 herbarum omne genus qui mihi suppeditet.  
21 Similis huic custos pauper ponatur, et a me,  
22 hujus sit cultor, Corytinusque senex.  
23 Hinc post haec nobis faciles in amore Camenae,  
24 auratam quae dent sollicitare lyram.  
25 Meque ingens quercus ramorum protegat umbra,  
26 arida cum scindit laetifer arva canis.  
27 Te moveant igitur Charites, Federice, sub undis  
28 Eridani, quae te progenuere Deae.  
29 Quaeque sinu alterno puerum fovere sorores,  
30 dum tua nectareo labra liquore rigant.  
31 Incipe Pierios facilis jam promere cantus,  
32 et subeat menti Calliopea tuae.  
33 Aonia dum plectra moves spatiare sub umbra,  
34 jam jam mollis erit versus in ore tuo.  
35 Et studio desiste gravi, nimioque labore,  
36 et mecum tales ede poeta jocos.

## AD HIERONYMUM FRACASTORIUM

C\_5 v.1 Quis caput umbrosa nostrum tegat arbore, solem  
2 ut vitare queam ? Quis mihiserta dabit ?  
3 Quis mihi componat vario de flore corollam ?  
4 Quis det purpurei lilia mixta rosis ?  
5 Quis mea odoriferis onerabit limina lauris ?  
6 Quis cinget nostras fronde virente comas ?  
7 Quis mihi det vates perdulcia carmina cultus ?  
8 Quis mihi Pierio digna liquore dabit ?  
9 Esto meis mihi grate ausis, Hieronyme, praebens  
10 aures, atque meos i modulare sonos.  
11 Tu mihi solus eris lassae solatia mentis,  
12 et minues animi taedia longa mei.  
13 Te duce pulverei spatiosa per aequora campi  
14 insuetus noster currere discet equus.  
15 Tu mihi ne desis, veniunt jam tempora veris,

16 floriferosque aperit terra benigna sinus.  
 17 Mollia laetantur bene cultis gramina campis,  
 18 laetaque nunc vario prata colore nitent.  
 19 Nunc placidis volucres concentibus aera mulcent,  
 20 Rusticus et viridi gramine pascit oves.  
 21 Et curvi ludunt tremulis Delphines in undis,  
 22 florilegaeque ferunt munera mellis apes.  
 23 Nunc carmen gracili modulatur pastor avena,  
 24 inter pascentes lata per arva greges.  
 25 Eia age nunc violas albis contexe ligustris,  
 26 atque verecundis lilia pinge rosis.  
 27 Et mihi, ne cesses, viridem reflecte corollam,  
 28 ornet ut aeternum tempora nostra decus.  
 29 Nec minus et geminas ornent tua munera postes,  
 30 cinctaque sit varia janua fronde mea.  
 31 Atque biceps habeat flores in limine Janus,  
 32 nostraque balsamino fragret odore coma.  
 33 Et quos Castalio perdulces fonte liquores  
 34 exhauris cordi pocula grata tuo.  
 35 Jam dignare meis precor instillare labellis,  
 36 et sacri manibus sumere fontis aquas.  
 37 Ipse tuas melius sublimi, Hieronyme, laudes  
 38 ore canam, et de te crescet in ora sonus.  
 39 Ne cesses igitur mihi gratos mittere versus,  
 40 et nunc digna tuae funde canora lyrae.

IN DIEM NATALEM CHRISTI

C\_6 v.1 Jam venit alma dies, albo signanda lapillo,  
 2 quae toties nostros laetificavit avos.  
 3 Quam fore divini vates cecinere, Maroni et  
 4 hanc fore praedixit certa Sibylla diem.  
 5 Haec en alma dies, in qua de Virgine nasci  
 6 dignatus Regum Rex, Deus omnipotens.  
 7 Angelicae voces cui dicunt carmina mille,  
 8 cujus in adventu carmina mille stupent.  
 9 Nascenti plumae non stragula picta soporem  
 10 induxere, illi praebuit herba torum.  
 11 Aurea non illi, non illi argentea vestis,  
 12 non gemmis illi vestis onusta fuit.  
 13 At vix Pastorum sub vili culmine natus,  
 14 inclusus cultu paupere membra tegit.  
 15 Hunc tamen et Reges summi venerantur, et omnes  
 16 circumstant, miroque hunc in honore tenent.  
 17 Huic aurum et myrrham cum sacro turis honore  
 18 dant Reges ducti sidere conspicuo.  
 19 Illum myrrha hominem, Regem auro, ture Deumque  
 20 testantes, nec non oscula dant pedibus.  
 21 Luce igitur sacra mortales ponite fastus,  
 22 quodlibet et festo tempore cesset opus.  
 23 Quisquis si impurus sacris descendat ab aris  
 24 turpia cui Veneris facta placere solent.  
 25 Hac quoque voce omnes laetemur, voce canentes,  
 26 quod sit magna Deo gloria, paxque homini.  
 27 Quique lares curet benedicta spargere lympha,  
 28 ritus ut a nostris traditus exstat avis.  
 29 Turbaque vernarum, veterum de more parentum,  
 30 ingerat arsuris grandia ligna focus.  
 31 Et precibus bene quisque suis pia Numina Christi,  
 32 ut procul a nobis sint mala cuncta roget.

33 Ut sit ager penitus scabie rubiginis expers,  
 34 nec vitium corbis sentiat aegra seges.  
 35 Ne infelix lolium et steriles dominantur avenae,  
 36 ne invisae messes depopulentur aves.  
 37 Vosque sacerdotes pura cum veste venite,  
 38 uriteque aeterno tura Sabaea Deo.  
 39 Et signum puris manibus portetis ad aras,  
 40 dulcibus hancque hymnis concelebrate diem.  
 41 At tu sacra dies cunctos celebranda per annos  
 42 candidior semper, candidiorque redi.

C\_7 v.1 Puniceis quod silva rubens haud aspera pomis  
 2 exuberat viridi picta colore coma,  
 3 quodque hominum nullo surgit laetissima cultu,  
 4 et sibi non parvo est, et Dominae decori.  
 5 Desine mirari, tali se vimina jactant  
 6 tutela, et certo numine firma vigent.  
 7 Illius est quicquid ramos obtendit olentes ;  
 8 tantus caelesti venit ab ore nitor.  
 9 Non hos demulcent satus Zephyritides aerae,  
 10 non matutinis educat imber aquis.  
 11 Non pater Autumnus posuit, non aethere ab alto  
 12 firmavit solis ignea vis rapidi ;  
 13 sed nos dum tenerum incedens arridet ocellis,  
 14 et molli attactu culta Camilla fovet.  
 15 Plus illa excoluit nostra haec plantaria terra,  
 16 et tantam in speciem surgere posse dedit.  
 17 Aspice diducto qua rimula calle cucurrit,  
 18 et rupto inclusas cortice prodit opes.  
 19 Ut nulla his nostris praelucet purpura gemmis,  
 20 nec rosa cum minio sparsa decente micat ;  
 21 quaque instans tenues jam messis hiulcat amictus,  
 22 atque urgens tunicas dividit ante leves.  
 23 Nimirum erecta in teneris corallia labris  
 24 effinxisse ingens haec quoque cura fuit.  
 25 Scilicet et rarum nos duximus inde colorem,  
 26 unde suas etiam mater, amorque faces.  
 27 Quisquis ades, Dominae haec referas mandata, precamur,  
 28 quae secum nostra est saepe locuta coma.  
 29 Ut primos illi ruris properamus honores,  
 30 sic norit laetos anticipare dies.

C\_8 v.1 Magnanimi Proceres, quorum haec virtute tenemus  
 2 regna, ex angustis maxima principiis,  
 3 Quo primum laudem vos nomine ? Quaeve rependam,  
 4 digna sati vestris carmina pro meritis ?  
 5 Vos regni decus, et columen, gens maxima nostro  
 6 tantum hoc splendores additis imperio ;  
 7 nam nullis aequae terra Itala gaudet alumnis,  
 8 neve ullis effert se magis ingeniis.  
 9 Sive graves tractet quis doctae Palladis artes,  
 10 seu texat stricto carmina vincta pede ;  
 11 et Regum magnas illustret carmine laudes,  
 12 vel ludat pugnas saeve Cupido tuas.  
 13 Quid memorem ut dulcem inter nos spiramus amorem ?  
 14 Et quisque alterius subjacet imperiis ?  
 15 Et vos regna manent, regnique insigne corona

16           cuique suo cinget tempora vestra die.  
 17       Atque ego qui nutu inter vos nunc cuncta gubernō,  
 18           jam cupio vestro subdere colla iugo.  
 19       Felices nimium Reges, felicia regna,  
 20           talia ubi in Regem sunt Procerum studia ;  
 21       atque is qui regno inter vos, rerumque potitur  
 22           summa, animi dubius fluctuat usque tamen,  
 23       an vobis, tali ingenio, jucundius ille  
 24           imperet ; an vestro pareat imperio.

C\_9       v.1       Galle potens quondam belloque, et fortibus ausis,  
           2           terrarum merito quem tremuere sola :  
           3       o ubi nunc priscum decus, et quaesita sub armis  
           4           illa tibi toties sanguine fama prior ?  
           5       Ten Superum, justique ferus contemptor et aequi  
           6           Hispanus patriis artibus exsuperet ?  
           7       Sume animos, conversa Deum sunt Numina, et ipsum  
           8           jam coepit fatum suppuduisse sui.  
           9       Primus caeruleo Rhodanus qua labitur amne  
 10           devictos sensit vertere terga Duces.  
 11       Pallenti Caesar gemeret cum barbarus ore,  
 12           et tremeret jugulo Gallica Caesa suo.  
 13       Nec mora, procurvo fluvius caput extulit antro,  
 14           hostili cupiens se exhilarare fuga.  
 15       Projectas volvens rapido cum gurgite parmas  
 16           haesit, et hos rauco mox dedit ore sonos.  
 17       Siste fugam, latebrosa tibi se flumina pandunt,  
 18           et praebet vanos hospita terra metus.  
 19       Hoc erat hoc Romae Patribus quod saepe vocatis  
 20           in sacrum Regis solveris ora caput,  
 21       scilicet exciderunt, quae tum sis magna loquutus  
 22           horrida quae venti per mare verba ferant ?  
 23       Cum te excisurumque urbes, flammisque daturum,  
 24           jactabas saeva Gallica regna manu.  
 25       Nam te magnanimum poscente in proelia Regem,  
 26           ipsae etiam risum vix tenuere trabes.  
 27       Addebat victori animos tibi Bagrada, et Afer,  
 28           qui tua direpto fugerat arma grege ;  
 29       quique mari assuetus tantum, subitisque rapinis  
 30           bellorum imprudens Arriadenus erat.  
 31       Huc huc verte aciem ; Rhodanus, non Bragada cursum  
 32           pernegat, atque minas despicit usque tuas.  
 33       Non hic Pastorum positus fera proelia castris  
 34           turba ciet, pulsa terga datura tuba,  
 35       ordinibus ; sed sueta acies turbare juvenus  
 36           Belgica, et audaces cominus ire viros.  
 37       Arma tenens medio Franciscus in agmine fulget,  
 38           et simul admissis fulminat altus equis.  
 39       Fulminat, et Nati fatum suspirat adempti,  
 40           qui dira nuper morte peremptus obit.  
 41       Quam magno haec olim stabunt tibi funera, Praedo,  
 42           concreta ad tumulum cum statuere coma.  
 43       Moxque tuum fassus crimen raptabere circum,  
 44           et voce infelix supplice colla dabis.  
 45       Desecto donec placentur gutture manes,  
 46           et conspersa tuo sanguine roret humus.  
 47       Haec memorans rapidus laxatis fontibus amnis  
 48           murmurat, et venas evocat inde truces.  
 49       Insonuere omnes silvae, collesque propinqui

50 testati luctum, quo potuere sono.  
 51 Omnis eo terrore tremens diffugit Iberus,  
 52 nudaque sunt Gallo castra relicta duci.

C\_10 v.1 Magne puer, curas puerili in corde viriles  
 2 qui geris, atque annos qui venis ante tuos ;  
 3 dum studia exercens durae laudanda Minervae,  
 4 casuras nullo tempore quaeris opes.  
 5 Ne te deficiat longos perferre labores ;  
 6 dulcia sunt longo parta labore bona.  
 7 Hinc decora ad seros tibi stant ventura nepotes,  
 8 famaue per nullos deperitura dies ;  
 9 ut tua cum livor post fata quieverit, ingens  
 10 magnorum volites docta per ora virum.  
 11 Respice nobilem monumenta superba parentum,  
 12 nominaque antiquae conspicienda domus.  
 13 Ipse novos patribus magnis adjungere honores  
 14 incipe, et in titulos crescere disce tuos.  
 15 Per te habeant nomen doctae Tritonidis artes,  
 16 illa est una tuis meta terenda rotis.  
 17 Cetera labuntur, fama est ea sola superstes ;  
 18 sed sunt difficili magna petenda via.  
 19 Ipse, modo Aonios detur contingere fontes,  
 20 et laurum insigni sustinuisse coma,  
 21 qua jacet immenso fecunda sub aethere tellus,  
 22 qua vastam Nereus fluctibus ambit humum ;  
 23 in tua deducam dignum praeconia carmen,  
 24 ut resonem grandi maxima facta tuba.  
 25 Nunc prius exitio dabitur mare, sidera, tellus,  
 26 cunctaque fatali corripienda rogo,  
 27 quam tua labatur memori mihi pectore virtus ;  
 28 nec venerer nomen tempus in omne tuum.

#### LEUCIPPI ET DAPHNES FABULA

C\_11 v.1 Jam satis innuptae vulgata est fama puellae,  
 2 cui Lycius tanto favit honore Deus.  
 3 Inter Hamadryadas fuit haec formosior omnes :  
 4 durior haec omnes inter Hamadryadas.  
 5 Hanc videt Oenomaos natus Leucippus Achaeo :  
 6 ut videt, ut capitur, captus ut inde furit !  
 7 Illa mares omnes fugit aversata, negatque  
 8 nubere : nec magnum malit habere Jovem.  
 9 Attamen hanc Leucippus amat, speratque potiri  
 10 usque adeo in propria re sibi quisque favet.  
 11 Quid faciat puer infelix ? Quave arte cupitos,  
 12 speret in amplexus conjugis ire suae ?  
 13 Quid non monstrat Amor ? Patrio nutrire capillum  
 14 incipit Alphaeo, nectereque arte comam.  
 15 Flava erat, et studiis circum muliebribus aures  
 16 pressa per inflexus ludit ad usque pedes.  
 17 Adjicit ornatum qualem Spartana gerebat  
 18 venatrix Pholoes lustra per alta Sacri.  
 19 Jam Coos maculosa sinus lynx cingit ab armis :  
 20 levia purpureus crura cothurnus habet.  
 21 Jamque habilis pharetra ex humero dependet, et arcus :  
 22 connectunt geminos ferrea vincla canes.  
 23 Jam juga Cyllenes Daphne transgressa paventes,

24 dum sequitur cervos, impavidosque sues ;  
 25 innumeris velox aderat comitata Lacaenis :  
 26 vixque premit celeri gramina summa pede.  
 27 Hanc puer Eleus petit, audacterque locutus,  
 28 dilectam tali voce moratur heram.  
 29 "Dic, Dea, qua pater Oenomaus direxerit axes,  
 30 qua soror acta citis Hippodamia rotis.  
 31 Namque ego dum alipedem sollerti indagine cervum  
 32 persequor ; his erro sola relicta jugis."  
 33 Nympha huic : "Parthenium lustravi, et Maenala ; nusquam  
 34 sunt mihi mortalis signa notata pedis.  
 35 Tu vero ne sola die errabunda cadente  
 36 (sol Tartesiacas pronus amabat aquas)  
 37 tristis eas : mecum potes exspectare parentem :  
 38 ni veniat, silvis tuta latere meis."  
 39 Naiadum chorus omnis adest, et Hamadryadum omnis :  
 40 "Ergo, ait, hic potius cara puella mane.  
 41 sqq. (Lacune)

C\_12 v.1 Te videt accensas spatiantem Nola per aras,  
 2 Nola suis nimium facta beata Deis.  
 3 Et vaga procedis tota spectabilis urbe,  
 4 inque tuos inhiant improba turba sinus.  
 5 Quid tibi cum externis sine me, mea Delia, templis ?  
 6 O nimio exitio religiosa meo.  
 7 Vaditis una domus matres, mistaeque puellae,  
 8 an ne alios illic creditis esse Deos ?  
 9 Unus habet cunctos, uni sunt omnia curae ;  
 10 nec magis hoc alio Juppiter orbe manet.  
 11 Quid juvat agresti toties dare tura sacello,  
 12 Delia, an hic Divi, fanaque deficiunt ?  
 13 Hic Venus, et quam tu tanti facis optima Juno,  
 14 sacraque votivis Pallas imaginibus.  
 15 Hic tibi vel toto Nymphae Sebethides anno,  
 16 et veniunt faciles sponte sua Satyri.  
 17 Te tamen insolito miratur Nola triumpho,  
 18 Nola meo Libyca salva dolore manu.  
 19 Non potuit Poeno quondam comburier igne :  
 20 ah tibi Carthago gloria quanta foret.  
 21 Nunc mihi non tales victrix daret illa timores,  
 22 nec quererer longi tempora dissidii.  
 23 Quid faciam sola sine te mea dulcis in urbe  
 24 Delia, dimidium nunc ego parsque mei.  
 25 Te sine tam longos potui producere soles,  
 26 quantum sub gemino forsitan axe micant.  
 27 Illic (ut perhibent) senis data mensibus umbra est,  
 28 et totidem obliquo lumine multa dies.  
 29 Mens mea (me miserum) gelido damnata sub axe  
 30 noctibus, et totis anxia luciferis.  
 31 Te cupide exspectans longum te, vita, morando  
 32 luminibus somnos expulit, ore cibos.  
 33 Felix Nola meis nimium ditata ruinis,  
 34 quis tibi pro meritis tam bona religio est,  
 35 ut tua formosae veniant ad templa puellae,  
 36 nec possint toto mense redire domum ;  
 37 scilicet et nostro spectando fruaris amore,  
 38 quis sibi non tales optet habere Deos ?  
 39 Mens fuerat mihi nolle meos spectare dolores,  
 40 dum fugeret patriis Delia liminibus.



41 Fors tamen illa mihi sese obtulit insperanti,  
 42 qualis Luna vaga nube relapsa redit.  
 43 Illa redit, subitoque urbes, et opaca locorum,  
 44 stagnaque purpureo lumine pulsa micant.  
 45 Ut vidi, ut stupui, ut me stetit aurea contra,  
 46 fixaque sunt oculis lumina nostra suis !  
 47 Non mihi mortali similis Dea visa repente est,  
 48 quae solet armato gratior esse Deo,  
 49 vel quae Dulichio colitur celeberrima templo,  
 50 Cypri, tua venia, pace, Minerva, tua ;  
 51 sed postquam mihi cor secum divellit una,  
 52 et sua mi facies protinus eripitur.  
 53 Ipsa sui desiderio labefacta cadit mens,  
 54 et riget in toto corpore sanguis iners.  
 55 Mox feror, ut jaculo quae fixa latronis acuto  
 56 cerva pererratis fertur anhela jugis.  
 57 Hac illac ingrata vagans per nota viarum,  
 58 sive agro potui cedere, sive domo.  
 59 Nec mihi parta domi requies, nec rure propinquo,  
 60 tristis agro redii, tristior urbe fui.  
 61 Tu mihi sola quies, tu, Delia, sola voluptas,  
 62 nec sine te nobis vita placere potest ;  
 63 et me sive Dryas causa est, seu Nola relinquis,  
 64 res erit exitio quaelibet apta meo ;  
 65 sed postquam nullae mihi te tenuere querelae,  
 66 ipse nec assiduis fletibus interii ;  
 67 dic mihi dum resides istic mea, an inter eundum  
 68 ipsa Venus nostri, Delia, summonuit :  
 69 An tibi projecta potius sum vilior alga,  
 70 quae fluitat salsis lurida vorticibus ;  
 71 nec te noster amor, nec te mea vulnera tangunt,  
 72 scilicet indoctis nupta futura viris.  
 73 O quantum est thalami potius quam spernere nomen,  
 74 possis ut obscuro funere tota mori.  
 75 Carmina formosis placeant Musaeque puellis,  
 76 si quibus est pulchro pectore laudis amor.  
 77 Lesbia carminibus clara est, dis nota Lycoris,  
 78 pulchrior et vati visa Corinna suo.  
 79 Carminibus Nemesis Latias it clara per urbes,  
 80 claraque tu nostro carmine semper eris :  
 81 semper eris nostris notissima forma libellis,  
 82 Delia, et Hesperii gloria rara soli.  
 83 Delia, perpetua semper celeberrima fama  
 84 una eris ; abstineat mors violenta manus.  
 85 Vatibus ingenium divinitus accidit, et tu,  
 86 tu mihi nescio quid Numinis instar habes.  
 87 Sive animi virtus, seu gratia cernitur oris,  
 88 nil erit in tota me prius Iliade.  
 89 Tu modo sancta Venus, cujus sub numine gressus  
 90 detulit e patrio Delia pulchra solo.  
 91 Hanc nihil oblitam nostri, sed amore fideli  
 92 restituas oculis Diva benigna meis.  
 93 Non mihi regna Phrygum, non divitis arva Niphatis  
 94 deprecor, una mihi grata puella sat est.  
 95 Sic mea saepe tuis adolebunt cinnama templis,  
 96 albaque turicremos imbuet agna focos ;  
 97 nec te, cara, Deae monitis parere pigebit ;  
 98 non ego, si nescis te vocat acer amor :  
 99 acer amor caelo cogit descendere Divos,  
 100 blandaque mortali ducere verba sono ;  
 101 Europamque, Asiamque gravi decernere bello,

102           improbus et saevas nare libenter aquas.  
 103       Nat juvenis, turrique accendit lampada Virgo,  
 104           mergitur hic ponto, moenibus illa ruit.  
 105       Crudeles venti, crudelia litora quantum  
 106           Hellespontiaco tunditur Oceano.  
 107       Saepe procellosas potuit vir nare per undas,  
 108           ipse sibi classis, navita, remigium ;  
 109       saepe suo conjux madidum siccavit amictu,  
 110           obvia dum celsa prosilit e specula.  
 111       Illius amplexa est spumantia colla, sinuque  
 112           fovit anhelantem blanda puella virum.  
 113       Nunc tamen infami scopulos diverberat unda,  
 114           qui fuerat tanti pontus amoris iter.  
 115       Magnus ubique Deus amor est, fluit aureus illo  
 116           Juppiter ; ah nescis ferrea quid sit amor.  
 117       Ille ciet pugnas, illi pax optima rerum  
 118           creditur, et certo foedere cuncta regit.  
 119       Quare seu Dryades colis istic, sive Napaeas,  
 120           Delia, majori numine jussa redi.

C\_13       v.1       Quaenam adeo humanis inimica laboribus astra  
               2       exercent tantis saecula nostra malis ?  
               3       Illa quidem infausta diris mage saeva cometis,  
               4       nunc face ab aethereo tristius axe micant.  
               5       At nihil ipsa Deum fato mortalibus aegris  
               6       imperitant, caeli lucida signa decus.  
               7       Nec quemquam rapuisse valent, ut nescia veri  
               8       turba putat, refugo quo neget ire pede.  
               9       Juppiter alta suis jussit convexa moveri  
              10       legibus, atque homini libera corda dedit.  
              11       Exitium sibi sponte petit, caecoque furore  
              12       gens adhibet proprias in sua fata manus.  
              13       Hoc potis est insana mali quodcumque ministrans  
              14       ambitio, infidos igne perusta sinus.  
              15       Hanc olim, cum prima novum fulsere per orbem  
              16       saecula, non ipsis despicienda Deis,  
              17       concordes animos, veri felicia amoris  
              18       vincula paulatim dissoluisse ferunt ;  
              19       nunc eadem turpi stimulata cupidine cogit  
              20       pectora divitias acrius usque sequi.  
              21       At tu, conspicuo primus qui vertice cuncta  
              22       fecisti imperiis inferiora tuis.  
              23       Umbrarum nigro despectus in agmine, nusquam  
              24       tuta petens, profugus turpia ubique feras.  
              25       Et querulae gemitus aurae vocesque dolentis  
              26       assiduo referant per loca senta sono.  
              27       Sed quid dira illi merito nunc parva reposcens  
              28       imprecor ? Ah nimium poena sit ista levis.  
              29       Huic tu Tartarei custos metuenda barathri,  
              30       Tisiphone, anguineis tempora cincta comis.  
              31       Terribiles acuens fecundi pectoris iras,  
              32       Poenarum insolita profer ab arte genus.  
              33       Cui rabida sitis aucta fame, lacerumque cruento  
              34       cedat inexplenti vulturis ungue jecur.  
              35       Quaeque ferens oculis raptos Ixionis artus,  
              36       praecipiti stridens volvitur orbe rota.  
              37       Non injusta peto, nulla umquam noxia tanti  
              38       venit ad infernos criminis umbra lacus.  
              39       Ferreus hic miseris abrumpens aurea terris

40           otia, curarum semina prima tulit.  
 41   At vos foeda sequi jam nunc vestigia tandem,  
 42           desinite, et turpis facta nefanda viri.  
 43   Poena eadem sontes ne postmodo terreat instans,  
 44           ultima cum fato venerit hora pari.  
 45   Quis furor est, quae mens, auro majora parantem,  
 46           quod satis est patrius cum bene reddat ager ;  
 47   velle per innumeros vitam duxisse labores,  
 48           perque mali quicquid terra fretumque parant.  
 49   Scilicet ut primos opibus tibi pauper honores  
 50           deferat, et titulo nobiliore vocet.  
 51   Heu quam vana hominum fastu sublimis inani,  
 52           tollitur incerto mens male nixa pede.  
 53   Dum quisque egregium fatis obstantibus alte  
 54           quaerimus ante alios exeruisse caput.  
 55   Omnia mox aequans pariter metitur eundo,  
 56           ferrum adhibens rapida mors violenta manu.  
 57   Vera quidem loquimur, sed nulli audita per auras  
 58           nostra cadunt tepidis verba ferenda notis.  
 59   Perstat in inceptis monitu deterrita nullo  
 60           gens fera, permissum quae putat omne nefas.  
 61   Recta cadunt, nulli jam parcitur, omnia vincit  
 62           parva licet cupida praeda petita manu.  
 63   Hinc jacet alma fides, rumpuntur vincula cari  
 64           sanguinis, inficitur labe perennis amor.  
 65   Quid referam invidiae stimulos, turpesque rapinas,  
 66           diraque furtivo damna parata dolo ?  
 67   Et placide incautis abscondita funera mensis,  
 68           quaeque tuum possent vertere Phoebe jubar ?  
 69   Credam equidem Libyae desertis montibus acres  
 70           mitius aut ima degere valle feras.  
 71   Frangere mos illis alienos unguibus artus,  
 72           improba donec hians liquerit ora fames.  
 73   Sed proprio respersa hominum vesana cupido  
 74           sanguine, non ullum novit habere modum.  
 75   Ferro alii invigilant, caedesque et castra sequuntur,  
 76           tristibus inque armis regna superba tenent.  
 77   Hic stat laudis amor, hic gloria quaeritur ingens,  
 78           tempora post fati nec moriturus honos.  
 79   Saevius his nihil est, vitam qui crimine nullo  
 80           projicere, et quodvis sustinuisse jubent.  
 81   Nunc odium, nunc ira manus, nunc jurgia poscunt,  
 82           nunc mixta indignis fortia verba minis.  
 83   Emicat hinc acies subito glomerata tumultu,  
 84           arma ferens, celeri curritur urbe pede.  
 85   Excita sic etiam levibus civilia causis  
 86           saepe tument aestu postmodo bella gravi.  
 87   Testis adhuc veteres animos, patriamque retractans  
 88           vim Mutina, in proprios saevior usque sinus.  
 89   Quis tua, Romanae nimium modo vera propago  
 90           gentis, inexhaustus concitat arma furor ?  
 91   Nonne satis nostrae sub moenibus urbis avito  
 92           incaluit quondam terra cruore semel ?  
 93   Cum scelere exsultans Antonius, agmina pugnae  
 94           immeritum doluit victa referre decus.  
 95   Saevus et ingenti victorum stragis acervo  
 96           non tulit egressos parta videre duces.  
 97   Nuper ab exhaustis aspeximus ossa sepulchris,  
 98           reliquias media sparsa jacere via.  
 99   Cum fuit ingentis longo munimine fossae  
 100           tutior urbs imis undique saepta vadis.

101 Heu validas inhibete manus, nec fata parentum  
 102 innumeris, Cives, nunc revocate malis.  
 103 Pax veniat, solitum nostris quae rebus honorem  
 104 reddat, et antiquum suscitet alma decus.  
 105 Bella procul genus assuetum discordibus armis  
 106 per steriles campos, et juga sola gerat.  
 107 Quid loquor ? Ah potius violentae semita morti  
 108 occidat, insanus Martis ubique furor ;  
 109 quicquid et humano generi nunc tempora laeta  
 110 saevius infestis non sinit ire modis ;  
 111 ut tandem vigeat terras optata revisens  
 112 blanda, ulli posthac nec violanda quies.  
 113 Qualis erat quondam, fetu cum maxima quercus  
 114 praebuit in victum brachia curva suo ;  
 115 omnia et in medium nullo vexata bidenti  
 116 sponte sua cunctis terra benigna dedit.  
 117 Nondum facta potens manifesto numine caeli  
 118 Fortuna aethereis parte recepta Deis,  
 119 instabili suspensa rotae mortalia volvens,  
 120 miscebat versa tam cito cuncta vice.  
 121 Nec varios operum casus mentita jubebat  
 122 saepe nova incautum ferre pericla caput.  
 123 Ergo immatura languentia lumina morte,  
 124 ante diem nulli clausit acerba quies ;  
 125 sed vitae defecit iners felicibus annis,  
 126 jam bene completo tempore quisque senex.  
 127 Illo tunc aderat quicumque in funere, luctu  
 128 ora rigans flebant vir mulierque pio,  
 129 exacta et sociae referentes gaudia vitae,  
 130 oscula singultu mixta tremente dabant.  
 131 Illic purpureum quicquid florentibus arvis  
 132 fertilis exorto vere ministrat humus.  
 133 Exanimum cari decorabat corpus amici,  
 134 nulla nec his inerat gratia muneribus.  
 135 Sic bene compositi manes nomenque vocabant,  
 136 ipsaque defosso sunt data membra solo.  
 137 Hinc secum digressa putans, properantibus annis  
 138 cuncta daret subitae quam brevis ora neci ;  
 139 mollibus in studiis, sinerent dum fata, jocosos  
 140 ducebat passim turba serena dies.  
 141 Hic pedibus viridi choreas plaudebat in herba,  
 142 cui dabat intentos ore puella modos.  
 143 Atque alia implexae circum de more coronae,  
 144 juncta cohors socium stabat utrimque latus,  
 145 tunc aliquis laetas emisit pectore voces,  
 146 accendens hilari corpora fessa sono.  
 147 Nec minus, undantes ubi late spargeret umbras  
 148 incisum nulla brachia falce nemus ;  
 149 blanditias alii placido sermone serebant,  
 150 arboreis streperet dum levis aura comis.  
 151 Cura erat interdum vario depicta colore  
 152serta domum pleno cuique referre sinu.  
 153 Ut laribus parvis sacros renovaret honores,  
 154 et positis staret floribus ara recens.  
 155 Illius agnovit quondam vestigia vitae  
 156 cymba satis miris parva manere modis ;  
 157 quae velut antiquae ratis Argus aemula, vasti  
 158 aequoris ignotum sollicitavit iter,  
 159 Oceanoque domos Phoebi transgressa cadentis,  
 160 qua sibi mens nullas fecerat ante vias.  
 161 Prima novae gentis populos, orbemque retexit,

162 quem procul impositi detinet unda maris.  
 163 At si nos iterum penitus florentia saevis  
 164 Aurea temporibus saecla videre juvat.  
 165 Non opus est alio terras sub sole jacentes  
 166 quaerere, tam longo nec dare vela mari.  
 167 Est locus aerii magno sub vertice montis,  
 168 findit ubi celeri rura Metaurus aqua,  
 169 quem late nitidis proprio stans pondere circum  
 170 frondibus intacta quercus obumbrat humo ;  
 171 sed quid ego ? In tantum nullis obnoxia ventis  
 172 tollitur, et virides explicat alta comas,  
 173 illius ut juga summa tenens, declivis in unda  
 174 paulatim Adriaci procubet umbra sinus.  
 175 Haec loca praestanti fortunatissima Divum  
 176 munere gens priscis moribus aequa colit.  
 177 Perque urbes sine fraude suas, et amoena per arva  
 178 rursus agit veteris otia laeta Dei.  
 179 Non illam tristi fervescens Sirius aestu,  
 180 turbida nec saevo frigore laedit hiems.  
 181 Ingeminans atris nec tempestatibus aer,  
 182 horrida nec tonitru fulgura missa gravi.  
 183 Nimirum assidua mentes dulcedine captant,  
 184 et placido rident omnia laeta situ.  
 185 Quin priscos etiam Heroas, seriemque revectam  
 186 semideum adversa fronte videre licet.  
 187 O quali Polus ipse nitens hinc auctus honore  
 188 fulget adhuc ? Quantum mox decus astra manet ?  
 189 Felices, clari quoscumque in luminis auras  
 190 eductos illic terra paterna dedit.  
 191 Tuque magis salve ramis felicibus arbos,  
 192 ante alias merito gratior una Jovi,  
 193 quae veteris mores vitae fecunda beatos,  
 194 nunc alis aeterno frondis honore virens.  
 195 O utinam proprius stellantis regia caeli  
 196 summa tuum aspiciat jam tetigisse caput ;  
 197 ut terrae immensos fines, totoque tueri  
 198 humanum valeas altior orbe genus.  
 199 Quam bene mutato rerum tunc ordine vitae  
 200 incipient facilem saecla aperire viam.  
 201 Scilicet acta prius mala secum aboleverit aetas,  
 202 cunctaque Letaeis deferet amnis aquis.  
 203 Eveniet, properant vario mortalia cursu,  
 204 perpetuoque eadem nulla tenore manent,  
 205 jam satis haec longos fuerunt ferrea in annos  
 206 tempora, quae tantis nos habuere malis.  
 207 Auxilium humanis Dii ferre laboribus, ulla  
 208 si tangi fas est numina vestra prece.

C\_14 v.1 Vos mecum Etruscis Nymphae requiescite in arvis,  
 2 Aonii colitis quae nemora alta jugi.  
 3 Hic ubi frondosam vitis rara occupat ulmum,  
 4 quae viridem patulo tegmine opacet humum ;  
 5 sunt tenerae gregibus herbae, sunt pabula nota,  
 6 discurritque sonans quae levet unda sitim.  
 7 Pascere neu quemquam per gramina laeta capellas  
 8 mox pudeat, superi dulcia rura colunt.  
 9 Rusticus antiquis primas sibi fecit in agris,  
 10 Quo consumat iners otia tuta, casas.  
 11 Dicitur et niveas qui custodisse juvenas

12 Admeti, vestrum pars bona Phoebus erat.  
 13 Aut Deus est, cujum pecus has cogemus in umbras,  
 14 aut quid sit, certe numen habere puto.  
 15 Nam quid id est ? Tacitae mentis vigilantibus hausit,  
 16 quae natura negat sensibus, ille oculis.  
 17 Tempora qui gratae peragit segura quietis,  
 18 dum, quae nocte videt, luce oriente docet.  
 19 Semina terrarum, et magni primordia mundi  
 20 ex nihilo in nihilum posse redire canit.  
 21 Unde genus nobis, defectaque corpora filo  
 22 edocet, aeternis vim facere ausa Deis.  
 23 Unde nives, quique astra regit, quae murmure venti  
 24 proelia terrifico per mare saeva movent.  
 25 Sol quoque cur tenebris obductis volvitur atris,  
 26 menstrua quid crescat, deficiatque soror.  
 27 Interea in numerum ludunt Dryadesque puellae,  
 28 nec fures metuit molle pecus celeres.  
 29 Tangere ne ulla mei potis est vos cura ? Salutem  
 30 ipsa dari cupiunt arva benigna sibi ;  
 31 nam si forte vagae pereant sine duce capellae,  
 32 contrahet aeternum maxima damna seges.  
 33 Carmina per dulces adimas resonantia versus ;  
 34 debita non reddet semina tristis ager.

C\_15 v.1 Qui patitur vitam externis traducere terris,  
 2 et patrii fines deseruisse soli.  
 3 Congerat ut grandes cumulos sibi divitis auri,  
 4 findat et innumero pingua culta bove,  
 5 insignesve ferat titulos, et nomina patrum  
 6 extollat, quae post fama loquatur anus ;  
 7 illi saeva tenent silices praecordia duri,  
 8 humanumque ferus nil nisi nomen habet.  
 9 Scilicet Oceano, et gelida Deus abscidit Alpe,  
 10 quae nolit nostris arva teri pedibus ;  
 11 ferreus ille tamen, vetitis moriturus in oris,  
 12 aeternum patria sede carere potest.  
 13 Huic igitur si mors fati praevenit annos,  
 14 quam merito justas inferet illa manus ?  
 15 Tunc sibi quid prosint argenti pondera ? Quid si  
 16 gemmarum quicquid India mittit, habet ?  
 17 Quid celebri captas gentes traxisse triumpho ?  
 18 Aut alio quovis munere partus honos ?  
 19 Si nec mater adest misero, dulcesque propinqui,  
 20 anxius obsequio quisque juvare suo ?  
 21 Si nec cara soror, potu quae leniat usque  
 22 arentem vita deficiente sitim ?  
 23 Postque fleat fratrem extinctum, multoque dolore,  
 24 et lacrimis lectos contumulet cineres ?  
 25 Talia praesentes a me depellite Divi  
 26 immerito, cupidos haec mala habere decet.  
 27 Vos celebrare mihi veteres concedite sedes  
 28 patris, et antiquo tura adolere lari.  
 29 Tunc laeter ruris placidos habitare recessus,  
 30 rusticaque insueta munera obire manu.  
 31 Culta seram, valido subigamque novalia tauro ;  
 32 nec renuam vitis falce putare comas ;  
 33 ac teneros duro scindens de caudice ramos,  
 34 deponam scrobibus vere ineunte cavis.  
 35 Maturoque legam redolentia tempore poma,

36 et condam e pleno dulcia musta lacu.  
 37 Ducere nec pudeat ad pabula laeta juvencos,  
 38 ubera dum saturi plena domum referant.  
 39 His felix opibus, de parvo inglorius agro  
 40 despiciam insani rostra superba fori.  
 41 Huc venies Tyrio interdum praefulgidus ostro,  
 42 spes et cura animi prima, Rodulphe, mei.  
 43 Ipse tuo adventu laetus te paupere cultu  
 44 sedulus, et festis excipiam dapibus.  
 45 Et tecum gelidos fontes, et flumina visam,  
 46 et nemora, et notis antra repostata jugis.  
 47 Quod si forte voles magnos circumdare saltus,  
 48 retibus et celeres sollicitare feras.  
 49 Ipse sciam quae pascat aper, quae devia cervus,  
 50 atque aptis laqueos disposuisse locis.  
 51 Ipse vagos tremula venabor arundine pisces,  
 52 altera si capto gaudia pisce voles.  
 53 Dulcia tum grati amplexus solacia ruris,  
 54 liberior curis ad tua sacra redi.  
 55 At tu pone metum, et tristes depone querelas,  
 56 Julia, nec comptum neglige maesta caput.  
 57 Neu cupidae teneros macies deformis in artus  
 58 serpat, et niveo defluat ore color.  
 59 Namque parata tibi reditus sunt gaudia nostri,  
 60 incolumem et servat me tibi sancta Venus.  
 61 Quae velit unanimes utinam nos vivere, donec  
 62 extremos claudat tarda senecta dies.

C\_16 v.1 Suffia luminibus qua se pulcherrima vestris  
 2 summovet, et celsa stat Jovis arce domus,  
 3 advenio, Regina tuo exhibitura dolori  
 4 laeta modum, teneris tu modo parce genis.  
 5 Lucidius tergo vellus ut fulgeat aureo,  
 6 eque meo absistat flammeus ore nitor ;  
 7 aspice, quaque tenax animum tibi cura remordet,  
 8 jam celeri pereat diripienda Noto ;  
 9 nam neque me tristes Orci rapuere tenebrae,  
 10 implicuit tenerum nec Stygis unda pedem,  
 11 Cerberus ingressu pavidam nec terruit ingens,  
 12 nec rauco auditus de Phlegetonte fragor.  
 13 Collapsam fato nitidis sed Juppiter astris  
 14 intulit, et claro mox dedit ore loqui.  
 15 Scilicet hoc lacrimae nobis peperere decorae,  
 16 hic geminus caeli fluxit et oris honor.  
 17 Ipsi etenim ante oculos spreti versantur amictus,  
 18 turbata et flavo vertice caesaries.  
 19 Lacteolas tereti strophio cum exuta papillas  
 20 prodebas culti tot bona rara sinus,  
 21 cernere erat vittas capitis sine honore jacentes,  
 22 et tenuis mitrae vincula fracta manu.  
 23 Non tulit hanc speciem magni regnator Olympi,  
 24 turgidulo victus lumine pulchra tui ;  
 25 me fati vires ultra sed cominus adstans  
 26 hic coetus inter collocat aetherias,  
 27 augeat Erigones lacrimis ne lucida tantum  
 28 illatus caelo Sirius astra canis.  
 29 Mi quoque nunc fletu victus, victusque querelis  
 30 siderei voluit limitis esse locum.  
 31 At pavidam exceptit gremio Venus aurea molli,

32           attrectans tenera terque quaterque manu,  
 33       et totam ambrosiae liquido perduxit odore,  
 34           continuo ignavus corpore torpor abit.  
 35       Quaque manum abstersit, niveum duxere colorem  
 36           vellera, suntque modis lucida facta novis.

C\_17   v.1   Hic quoque ni refugis, Charitum mollissima possum  
           2       ora tibi, et dulces mille referre jocos,  
           3       meque sinu ut teneant blando, digitoque procaci  
           4       incitet ut morsus illa vel illa leves.  
           5       Illa mihi collum niveis affusa lacertis  
           6       applicat, haec epulas fida ministra gerit.  
           7       Tum varios sternunt ignoto gramine flores,  
           8       spirat composito molliter aura toro.  
           9       Nulla <tamen> maestam derivant gaudia mentem,  
 10       nec caeli prae te regna tenere juvat.  
 11       Verum audita mihi, Parcae fatalia nentes  
 12       dum volvunt certa mollia pensa manu  
 13       accipe, teque alto prognatam sanguine Regum  
 14       fortunae scopulos transiliisse puta.  
 15       Cujus adhuc tenero vicisti sola furorem  
 16       pectore, tot saevis exagitata malis.  
 17       Vix bene prodieras dias in luminis oras,  
 18       exul cum tristi cogeris esse fuga.  
 19       Expulsum fatis regno comitata parentem  
 20       flexisti primis barbara corda sonis.  
 21       Hic deformatos fraterna morte penates  
 22       deflesti exsectis ante sepulcra comis.  
 23       Funeris hoc tibi tamquam late vulnus adactum  
 24       e nostro poterit discere quisque rogo,  
 25       cui tumulum maerens flatuis frondente sub umbra,  
 26       cum fuerim vestrae pars quotacumque domus.  
 27       Purpureosque addis flores, et turis honorem,  
 28       quicquid et e gleba divite mittit Arabs.  
 29       Quique olim inscripto nectebat gemmeus auro  
 30       cervicem, exiguas nunc quoque Millus habet.  
 31       Nunc, si vera monent Divae, properantibus horis  
 32       ultimus errorum jam tibi finis adest.  
 33       Effluxere tibi, effluxere incommoda tandem,  
 34       ipseque lux properat candidiore nota,  
 35       cum tibi splendenti procedens Noctifer ore  
 36       conjugii felix candida vincla ferat.  
 37       Gonzagae magno quo juncta Aragonia virgo  
 38       optati capias regna superba tori.  
 39       Quodque magis placeat ; tanti tibi nominis auctor  
 40       Caesar erit, votis annuit ille piis.  
 41       Mincius assurget nitidis tibi largius undis,  
 42       aequoraque elatis cornibus alta petet.  
 43       Eridanusque pater taeda tumefactus herili  
 44       certabit magno caerulus Oceano,  
 45       excitae toto properabunt flumine Nymphae,  
 46       et quaesita imo gurgite dona ferent.  
 47       His fluet ad taeda Satyrorum mixta juvenus,  
 48       et molles ducent lata per arva choros.  
 49       Tunc vos unanimes ac dextro sidere juncos,  
 50       ne pigeat placidi jura subire tori.  
 51       Non istuc satis est, pariter sudate medullis  
 52       omnibus, et vobis mutuus afflet Amor ;  
 53       utque tenax hederæ truncum vis alligat arte,



54 et torto serpens implicat usque pede ;  
 55 sic vos corporibus, nexis haerete lacertis,  
 56 nec liceat quamvis te explicuisse velis.  
 57 Dignaue conjugio tali date pignora terris,  
 58 antiquum ut revocent Itala regna decus.  
 59 Evinctumque scelus jaceat sub nocte profunda,  
 60 et passim rivis vina jocosa fluant.  
 61 Tu vero, Regina, modum jam pone querelis,  
 62 et tristi cessent imbre madere genae.  
 63 Ecce tibi comitum series effusa per agros  
 64 texit odoratis floridaserta rosis.  
 65 Et secum meditata toro jam carmina promit,  
 66 jam quatit accensas fax tibi laeta comas.  
 67 At cum maternos invisēs nupta penates,  
 68 hic ubi sunt viridi nostra sepulchra solo ;  
 69 ante meum praefata rogum mox dicito : Amoris  
 70 exiguo huic cineri nunc quoque sensus inest.  
 71 Dilectae lacrimas deinceps sic pelle catellae,  
 72 ut tibi non omnis diffluat ex animo.

## FRAGMENTUM

C\_18 v.1 At requieta petis, seu forte recentia prosint ;  
 2 judice me potior sit tibi cura recens.  
 3 Conficienda tamen primo mihi sumseris haustu,  
 4 impare quae numero lex jubet ipsa capi.  
 5 Haud alium in morem vasto Polyphemus in antro,  
 6 Dulichios fertur ventre vorasse viros,  
 7 appulsus Siculis olim cum naufragus oris  
 8 rex Ithacae undosum flamine currit iter.  
 9 Non ingrata tamen fuerint tibi mollia, quaeque  
 10 exiguo motu subtremuisse solent.  
 11 At quae dura vocant, duris messoribus illa  
 12 apponet prudens qui mihi structor erit.  
 13 Vidi ego qui presumque manu multumque rotatum  
 14 auribus admorit terque quaterque suis ;  
 15 scilicet explorans quae fida silentia servant,  
 16 quaeque satis firma sint sibi nota fide ;  
 17 nec desunt sole adverso qui saepe lacunas  
 18 scrutentur parvas liberiore polo.  
 19 Ipsa etenim quando tenuant dispendia Lunae,  
 20 cum latet, et versis fessa revenit equis.  
 21 Vera cano, et secto comperta putamina pridem,  
 22 aligeri fuerit cum mihi cura gregis.  
 23 Cetera rura olim repetam, notosque recessus  
 24 exsequar, et forsā commodiore sono.

## DAPHNIS. IN OBITU RAPHAELIS URBINATIS PICTORIS

C\_19 v.1 Propulerant primo pecudes in pascua Sole  
 2 gaudia pastorum, Thyrsisque, et pulcher Amyntas,  
 3 dumque haec per teneras herbas et mollia prata  
 4 immixta infirmis agnis, omnique vagantes  
 5 parte, avido tondent viridantia gramina morsu,  
 6 percussi fato juvenes et funere acerbo  
 7 Daphnidis, exesae rupis petiere latebras,  
 8 qua prope vicini campos secāt unda Metauri,  
 9 et placido mordet flaventes gurgite arenas.  
 10 Tum prior immiti confectus corda dolore

11 hanc imo promisit Thyrsis de pectore vocem.  
 12 "Vos o Virginei coetus, placidissima Nymphae  
 13 numina, quae virides saltus, secretaque rura  
 14 curatis, quasque arva juvant, obductaque nigris  
 15 fontibus, et vario gemmantia prata colore,  
 16 ferte pedem, et nostros faciles ne spernite fletus.  
 17 Tuque o, seu choreas silvis nunc ducis in altis,  
 18 seu celer agrestes pernicious robore lyncas  
 19 plantae agitas, pariterque tibi nemus omne remugit,  
 20 Pan gregis intacti custos, cui fistula septem  
 21 decrescit numero imparibus compacta cicutis,  
 22 huc ades, et querulae miseratus sibila cannae  
 23 Maenaliis linquas saltus, et templa Lycaei,  
 24 dum repeto exstinctum crudeli funere Daphnim.  
 25 Ille etenim (juvenem vix tum firmaverat aetas)  
 26 ignotas ausus mentem traducere ad artes,  
 27 sacra Deum variis ornavit templa figuris,  
 28 et vestros duxit laevi de marmore vultus.  
 29 Non illi pingues tabulis expellere tauros  
 30 cura fuit, glebasve attrito invertere aratro ;  
 31 semina non longo deductis ordine sulcis  
 32 mandare, et gravidis falcem supponere aristis ;  
 33 non ferro attenuas frondes hic strinxit acuto,  
 34 tantum pallentes hederasque, cruentaque myrti  
 35 brachia, et incertos deflexa umbracula ductus  
 36 assiduo cultu studia ad diversa vocabat  
 37 gratum opus, antea et in mediis jam surgere silvis  
 38 cernere erat Panes, et Faunigenos satyriscos,  
 39 intextasque simul buxo frondent e Napaeas.  
 40 Horruit, et latebris fugiens se credidit altis  
 41 inscia pastorum pubes, sed pocula vobis  
 42 quae posuit Musae nuper quo carmine dicam ?  
 43 Non illi Alcimedon aequo certavit honore,  
 44 in medio Cypris madidos in litore crines  
 45 abstergens, molli terras arridet ocello.  
 46 Illam gens vasti spectat procul humida ponti,  
 47 piscosos circum scopulos Delphines in orbem  
 48 caerulea verrentes dispergunt marmora caudis.  
 49 Aligeri hos frenant pueri, tergoque recurvo  
 50 excepti varios agitant per litora lusus,  
 51 spiculaque, interdum flaventes unda capillos  
 52 aggravat, et salsa rorant aspergine crines.  
 53 Quid referam torni decus et quae plurima utrimque  
 54 ansas silvestres sparsit labrusca racemis  
 55 densior, et croceis hinc inde evincta corymbis.  
 56 Talibus in studiis curas en Daphnis agebat,  
 57 relinquere cum patrios colles dilectaque rura  
 58 cogitur, et dulci sese divellere ab ora.  
 59 Egressus silvis formosi ad Tibridis undam  
 60 constitit, et fama jam jam super aethera notus  
 61 immensas tandem moles et tecta domorum  
 62 conformare cupit, fructisque incingere muris.  
 63 Et dum conspicuis cumulat fulgentia signis  
 64 templa Deum, splendentque novis altaria donis,  
 65 illi jam sordent postes fuligine nigri  
 66 assidua, et parvis fenilia nixa tigillis.  
 67 Sic humiles quondam virgae mollissima silva  
 68 roboribus crescunt duris, et brachia jactant ;  
 69 mox tamen has fractis tempestas disjicit umbris  
 70 acta Erebo. Daphnis primo sub flore juventae  
 71 occidit, et tenebris moriens circumdatur atris.

72 Nil illi ingenuas animum excoluisse per artes  
73 profuit, aut superis struxisse ingentia templa,  
74 quae Leo, qui paribus mundum compescit habenis,  
75 jampridem aethereas jussit consurgere ad auras.  
76 Quo superi, quo docta manus, et cognita caelo ?  
77 Quo vis clara animi ? quo tot inventa ? sepulcrum  
78 cuncta tulit : lacrimis aeternum, et nocte profunda  
79 urgetur Daphnis, nec me dolor improbus egit  
80 in scopulos, clausitque atro torpentia somno  
81 lumina, vel divum quisquis miseratus ab alto,  
82 excussit summo aerei de vertice montis ?  
83 Quis pecori signum, postquam te fata tulerunt  
84 imprimere, aut certo partiri limite campum,  
85 ausit et immensae numerum subducere arenae ?  
86 Quis maris undisoni campos, liquentiaque arva  
87 exprimet, aut agiles nudato corpore Nymphas,  
88 caerula dum findunt trepidantibus aequora mammis ?  
89 Quis nemorum altorum umbras, aut quis pascua, et amnes ?  
90 gemmantis posthac pictae telluris honores ?  
91 Quis notet ? aut gracili meditantibus carmina avena,  
92 pastores, dumosa hirtae dum rupe capellae  
93 pendent, et dulci distendunt ubera lacte.  
94 Vos quoque nexilibus ornati cornua sertis,  
95 hircipedes Satyri, pavidas et vana timentes  
96 signa olim egistis per litora nota Napaeas.  
97 Usque adeo ingenio Daphnis, digitisque valebat.  
98 Non tamen ingenii vobis memoranda reperta  
99 ulla moram fecere, Dei, quin funere acerbo  
100 oppeteret, nigros latices melioribus annis  
101 invisens, quaeque arva colunt felicia manes.  
102 Daphni, tuos obitus montes, silvaeque loquuntur,  
103 et maestae pecudes, simul et suspiria frondes  
104 junxerunt, viridi cythisoque et graminis herba  
105 abstinuere diu deserta in rupe capellae,  
106 ante exspectatum foliis languentibus omnis  
107 aret ager, virides nullo et cogente per herbas  
108 floribus exustis argentea lilia passim  
109 demisere caput ; misero o quis nunc mihi saltus  
110 ostendat vitreis quos praeterlabitur undis  
111 Tibris et humentes contorquet gurgite ripas ?  
112 Illic ad tumulum nostros quae semper amores  
113 testentur, lauros, umbrosaue robora myrti  
114 constituam, et steriles silvas ad busta vocabo.  
115 Crescet, et (haec saltem nostri monimenta manebunt  
116 luctus) mox tumulo aeternum superingruet umbra.  
117 Interea hibernis vos parcite flatibus Euri,  
118 parcite dum teneris pubescunt arbuta ramis.  
119 Forsitan hic olim pastores vota quotannis  
120 reddent, ut Cereri magnae, Bacchoque Lyaeo,  
121 et molli pariter cingent altaria vitta.  
122 Ipse obbam lactis, et vina liquentia fundam  
123 infelix, fragilique animum solabor avena.  
124 Aspice nos, facilisque veni, subitosque luporum  
125 incursus pecori prohibe, et contagia saeva."  
126 Haec Thyrsis, leni signat quae pulcher Amyntas  
127 in trunco aeternum, curas testantia inanes.  
128 Carmen hiat, scissoque patent in cortice fletus.

## FRAGMENTUM

C\_20 v.1 Quem faciant silvae celebres, quos cingere saltus  
 2 agmine venantum deceat, quis cultus alendis  
 3 sit fidis Spartae catulis, acrique Molosso,  
 4 unde olim egregius sumtis venator in armis  
 5 conjugis oblitus carae, sociique cubilis  
 6 stet simul, et veros discat perferre labores ;  
 7 Mens agitat dudum ; coeptis haud mollibus adsis  
 8 sacrorum custos nemorum, Latonia Virgo,  
 9 Ortygiae quam lustra tremunt, cui saeva leonum  
 10 saecla animos vulgo, ponuntque tumentia corda ;  
 11 atque incedentem agnoscunt, pavitantque sub antris,  
 12 seque volutabris abdunt immanibus apri.  
 13 Tu quoque Germanae studiis accensus honestis  
 14 Phoebe, fave, pharetraque humeros insignis eburna  
 15 silvarum ingentes mecum spatiare per umbras,  
 16 munera vestra cano, vestrae decora alta juventae  
 17 ampla quidem, et magnis quondam spectata periclis,  
 18 cum primum tellus partu connixa nefando  
 19 immanem Pythona aleret, sparsura venenis,  
 20 ni vestra obsistat pietas, caelumque fretumque.  
 21 Ipse etenim gelidi linqens pineta Lycei,  
 22 Pan nivei ductor pecoris cui <undique> centum  
 23 assiduis late resonant <clamoribus alpes>.  
 24 Huc aditum Tegeae feras, tuque optima divum,  
 25 Aeneadum genitrix, leni cui murmure silvae  
 26 praetendunt ramos, umbrisque recentibus auras  
 27 exceptant, veterum memores, et consciae amorum.  
 28 Et vos agrestes Fauni, Satyrique bicornes,  
 29 quaeque humeris habilem Nymphae suspenditis arcum,  
 30 quaeque manu petitis nemora inter frondea laudem,  
 31 este Deae comites, et retia torta ferentem  
 32 excipite, et vestris fessum recreate sub antris.  
 33 Tuque adeo eversi lux o clarissima mundi,  
 34 Accolte, herorum columen, quo sospite fessis  
 35 consultum per vos sat erit, pia numina, rebus,  
 36 tu mihi seu magnis nunc te de rebus agentem  
 37 candenti insignem linoque, et murice pictum  
 38 suspiciunt lecti proceres, santusque Senatus,  
 39 praemia seu potius latis qua serius arvis  
 40 labitur, et cultae findit tibi rura Cremonae,  
 41 quaque tibi antiquae surgunt pineta Ravennae,  
 42 ingeniis ponis ; dulces seu pollice nervos  
 43 percurris sacro deducens vertice Musas,  
 44 ne desis, vati que pius assiste canenti,  
 45 et mecum croceis evinctus crura cothurnis,  
 46 horrentem silvam .....e nigra  
 47 ingredi, et nostro praesens occurre labori,  
 48 ramorum immittens tenebris lucemque diemque.  
 49 Principio arcenti teneros mihi saltibus annos,  
 50 quando etenim silvis non omnis convenit aetas,

## IOLAS

C\_21 v.1 Vos mihi Pierides, magno dum munus Iulo  
 2 fiscellam, et lento ductos de vimine qualos,  
 3 quod possum, texisse juvat viridante sub umbra,  
 4 dicite quae nuper vacuo projectus in antro  
 5 cantarit socios inter venator Iolas,

6 olim ingentis, nunc parvi possessor agelli.  
7 Dicite, nam puerum densa lustrasse corona  
8 nostri vos saltus stupuere, oviumque magistri.  
9 Ipsum dum aequiparat calamis, et carmine Moerim,  
10 Moerim pastorum decus, ipse et proxima Moeris  
11 carminibus Phoebi facit, et modulatus avena  
12 deducit rigidas summo de vertice quercus  
13 saepius, atque jugis proceras evocat alnos.  
14 Forsitan et quondam propius miseratus inertem,  
15 Cynthius haec quocumque modo tibi maxima, Juli,  
16 efficiet, bifronsque dabit inflare cicutas.  
17 Tunc Romam linquens, et notas Tibridis arces  
18 Cajani invisam, saltusque et laeta Caregi  
19 pascua, virtutesque canam, et tua maxima facta  
20 assurget nitidis Arn<us tam> leniter undis,  
21 et sibi postp..... <Ti>bridis amnem,  
22 ambobus quamvis aequae sis fervida cura.  
23 Haec olim, primos facilis nunc accipe lusus,  
24 lusus, quos custos tantum gregis, aut ubi densas  
25 attenuans frondes extremos vinitor antes  
26 attigerit, jubeat gelidos ediscere fontes.  
27 Venatu assiduo nuper defessus Iolas,  
28 devitans aestum viridi successerat antro,  
29 vestibulum ex hedera spargebant protinus alba  
30 silvestres densa complexi fronde corymbi,  
31 herbosoque toro exceptus, rivoque fluenti,  
32 non illaudatos referebat Apollinis ortus.  
33 Ortygiae ut pulchrae silvis eductus in altis,  
34 immanem Pythona puer tremefecerit arcu.  
35 Purpureae huic quamvis cristae, maculosaque terga ;  
36 et variis latos sinuaret flexibus orbes.  
37 Mox atque errantes cervos, capreasque fugaces  
38 perculit, et certa confixit monstra sagitta,  
39 unde sibi aptatis inter se cornibus aram  
40 contextu exstru<xit manibus> templumque locavit.  
41 Addit ut Ad... ....entus amore  
42 erravit quodam tacitis inglorius arvis,  
43 utque gregem immundum non fastidiverit, utque  
44 sole diem ducente, astrisque recentibus illum  
45 prodire in saltus, serae et decedere nocti  
46 riserunt sacro stupefactae carmine Nymphae.  
47 Quam melius germana choros nunc in frondosis  
48 exercet silvis, Amneso cui patre centum,  
49 centum Nereides, vitreae genus Amphitrites,  
50 lumine purpureo, pictae rosea ora Juventus,  
51 addunt se socias pariter, montesque per altos  
52 dulce fremunt, tremulis quatientes motibus artus,  
53 seu jaculo potius lyncas, cursuque fatigant,  
54 eque volutabris pulsos immanibus apros  
55 proturbant, variis resonat clamoribus aether,  
56 assultu nemorum, et silvis redimita profundis  
57 Taygeta impulsus fremituque et voce canum Pan  
58 Maenalius e saltu, atque e vertice Cylleneo  
59 Naiadum occurrit pater, et socia agmina jungit.  
60 At clauso postquam processit Vesper Olympo  
61 Caelicolum pictas r..... berrima sedes,  
62 accurrunt sup..... laeta frequentes  
63 atque onera accipiunt venientis, sedula casses  
64 pars petit, et lato praefert venabula ferro :  
65 pars curru exemptos gaudet per prata jugales  
66 attractare manu, ramosaque cornua sertis

67 implicat, et fulvo nectit corallia collo ;  
 68 nexilibus pendent demissa monilia ramis.  
 69 At tibi nunc viridi fr..... procumbit in arvo  
 70 Amphrysum propter, mollique in margine <rivi>  
 71 auratos pueri crines bene olentibus herbis,  
 72 nunc apio viridi, nunc purpureo narcisso  
 73 intexens vanum cantu solatur amorem ;  
 74 incustoditi repetunt praesepia Tauri.  
 75 Sed non indictam hinc alio digressus amantem  
 76 Phyllida praeteriit, Partho quae spicula cornu  
 77 dum torquet, canibusque instat circumdare saltus  
 78 nuper, et infidis audet se credere silvis ;  
 79 setosi redit exuviis horrentibus apri  
 80 conspicua, atque tholo rictus tibi, Delia, fixit,  
 81 immanes rictus ..... monumenta decore  
 82 ipsa etenim certa .....ria virgo,  
 83 ipsa etenim dicat se se Nonacria victam,  
 84 fortunata animi, ah te ne lustra invia fallant,  
 85 ah tibi ne noceant variarum monstra ferarum,  
 86 errantemque notet spinis rubus asper acutis.  
 87 Haec ille : pulsae responsant Phyllida valles,  
 88 et tremulas frondes venientis sibilus austri  
 89 impellens, juveni optatam per membra quietem  
 90 irrigat, et dulci somnos fovet aura susurro ;  
 91 ante pedes dilapsa silet silvestris harundo.

C\_22 v.1 Musarum adpulerant Parcae splendentia tecta,  
 2 annua dum magno persolvunt justa Maroni,  
 3 et tumulum propter viridi de caespite inanem  
 4 assistunt, veteresque cient longo ordine fletus.  
 5 Quae postquam tenero flexerunt membra sedili  
 6 veridico seriem fatorum expromere cantu  
 7 coeperunt dulci mulcentes carmine Musas.  
 8 Nulla tamen niveae parcebat dextera lanae,  
 9 sed manibus nixae nitidis in veste recincta  
 10 exercere colum, et longo diducere tractu  
 11 vellera, et aeterno late indulgere labori,  
 12 haec cum libratis fundentes carmina fuis.  
 13 O solae vatium praesentia Numina Nymphae,  
 14 quae gelidos fontes, quae prata recentia rivis  
 15 incolitis, pictoque vagae sub vertice Pindi,  
 16 aut Haemi varias agitatis monte choreas,  
 17 accipite haec animis, venturaque discite fata,  
 18 quae nunc clarisona praepandunt voce sorores  
 19 unanimes, vos o sed carmine compellatae,  
 20 parcite flebilibus numeris, jam parcite Nymphae.  
 21 Nympha Padi ad ripas, genus alto a sanguine Divum,  
 22 at nunc, qua viridi rorantia cornua musco  
 23 Mincius attolit, taedis felicibus aucta  
 24 jam dabit optatam partu pulcherrima prolem,  
 25 Quo duce vestra polo rursum se gloria tollat.  
 26 Parcite flebilibus numeris, jam parcite Nymphae.  
 27 Nascetur Latio fati properantibus heros  
 28 Alcides, cinctam rursus serpentibus hydram  
 29 qui sternat, cunctasque animi bene natus ad artes  
 30 caeli ferratos humero qui fulciat orbis.  
 31 Parcite flebilibus numeris, jam parcite Nymphae.  
 32 Nec vero nivei quisquam certavit olores  
 33 vestrum, qui fluctus, pulsataque fluctibus arva

34 accolitis Minci, juvenem superare canendo,  
 35 cui puero Phoebi chorus assurrexerit omnis.  
 36 Parcite flebilibus numeris, jam parcite Nymphae.  
 37 Mox ubi prima virum tandem firmaverit aetas,  
 38 abdita naturae sese ad penetralia vertet,  
 39 et rerum instabit causas aperire latentes,  
 40 atque animum Sophiae virides traducere ad hortos.  
 41 Parcite flebilibus numeris, jam parcite Nymphae.  
 42 Felices umbrae nemorum, felicia prata,  
 43 et vos felices rivis crepitantibus amnes,  
 44 quorum seu dorso exceptus, seu frigora captans  
 45 ad caput, haec sacro meditabitur ille recessu.  
 46 Parcite flebilibus numeris, jam parcite Nymphae.  
 47 Non illum Phrygii bellantem ad litora Xanti  
 48 agnoscent trepidae matres, votisque favebunt  
 49 egregia captae, formaque et fortibus ausis,  
 50 huic vires quamvis adsint, et fortia bello  
 51 pectora, vibrato nec segnis dextera telo.  
 52 Parcite flebilibus numeris, jam parcite Nymphae.  
 53 Hunc tamen ipsa tibi invideant contraria fata  
 54 Mantua, nam puerum prima lanugine malas  
 55 flaventem, atque animi magnis virtutibus auctum,  
 56 septimus immensum imperio qui temperet orbem,  
 57 candenti insignem, linoque et murice pictum  
 58 adjungi patribus miro properabit amore.  
 59 Parcite flebilibus numeris, jam parcite Nymphae.  
 60 Quantum Romanis accedet moenibus inde  
 61 praesidii, et quantis augebitur Itala rebus  
 62 gloria, non illi quisquam se conferat audax  
 63 eloquio, aut castae certet dulcedine linguae.  
 64 Parcite flebilibus numeris, jam parcite Nymphae.  
 65 Testis erit Minci toties immobilis unda,  
 66 quaeque suos quondam requierint flumina cursus ;  
 67 litoreas inter frondes, umbraque recentem  
 68 dum canit, ingentemque refert dum voce Maronem.  
 69 Parcite flebilibus numeris, jam parcite Nymphae.  
 70 At cum Romulidum imperio, sceptrisque potitus,  
 71 eversi tandem fasces susceperit orbis,  
 72 credite, felici gaudebunt omnia saeclo,  
 73 omnia jam pacata, omnis procul ira, metusque.  
 74 Parcite flebilibus numeris, jam parcite Nymphae.  
 75 Candida pax iterum terris se ostendet apertis,  
 76 injussae exurgent fruges, ulmisque senescet  
 77 vitis, et incultae flavescant mella genistae,  
 78 duraque tum positis mitescent saecula ferro.  
 79 Parcite flebilibus numeris, jam parcite Nymphae.  
 80 Ergo tempus erit, solio cum nixus in aureo  
 81 per populos det jura, novis et legibus orbem  
 82 submittat, magni cedant quibus undique Reges,  
 83 summaque fulgenti delibent oscula plantae.  
 84 Parcite flebilibus numeris, jam parcite Nymphae.  
 85 Talia divino fuderunt carmine Parcae,  
 86 dum tibi nascenti candentia vellera longo  
 87 urgerent, divum soboles clarissima, tractu,  
 88 vellera, quae numquam (Di sic voluistis et ipsi)  
 89 perfidiae arguerit, saeculis labentibus, aetas.

3 Et mihi nunc primo perstant quae in limine segnes,  
 4 nec solitis audent choreis se credere, tuto  
 5 hospitio excipiet Musas, opibusque juvabit ?  
 6 Tantane nos veterum ceperunt taedia laudum,  
 7 atque adeo antiqui pertaesum est undique moris ?  
 8 Illa olim ut divum cecinit quae fistula amores,  
 9 quae somno Nymphas totiens viduavit agrestes,  
 10 induxitque novas muscosis fontibus umbras,  
 11 nunc obducta situ lateat, tenebrisque profundis  
 12 abdita, ludibrio pereat ventisque, ferisque :  
 13 atqui Dircaeo fuit haec carissima vati,  
 14 cum caneret silvas, Actaeoque ex Aracyntho  
 15 duceret auritos lapides, atque adderet urbi  
 16 saxa modis inter sese coeuntia miris.  
 17 Ipse etiam hac tanto Venerem devinxit amore  
 18 Assyrius puer, oblito dum luderet arcu  
 19 inter oves : ut nulla illos divulgaret unquam  
 20 vis fati, non ipsa aevi longinqua vetustas  
 21 mutarit : niveos sed quamvis saucius artus  
 22 occidat aeterno devinctus lumina somno,  
 23 non tamen ille tuis procul, o Cytherea, papillis  
 24 secubat, aut absens vanos deplorat amores :  
 25 agrestis tantum potuerunt sibila cannae.  
 26 Sed nunc ut versi mores, ut nulla priorum  
 27 simplicitas remanet, sordent ut munera vestra  
 28 Pierides, nec priscus honor numerique, jocisque.  
 29 Pro numeris crevere doli, pro carmine lites,  
 30 jurgia pro calamis et amor sceleratus habendi.  
 31 Per terras hinc rara deum vestigia pulvis  
 32 flavus habet, nostros hi nempe invisere coetus  
 33 turpe putant, spretos renuuntque insistere saltus.  
 34 Parcite apes pingui procedere longius alveo,  
 35 nequicquam in tenera rorem depascitis herba,  
 36 immunes nam vestra sedent ad pabula fuci.  
 37 Vos tamen o faciles, toto vos pectore Nymphae  
 38 accipio, et tristi procul ambitione repulsa  
 39 munera vestra sequor, contentus vivere parvo,  
 40 et Regum mensas dapibus postponere inemptis.  
 41 Nec mihi Pyramidum placeat tam cultus, et altae  
 42 urbis honos, caelo quam pulchra Semiramis aequat,  
 43 quam spissae nemorum ramis frondentibus umbrae,  
 44 laetaque et irriguis manantia fontibus antra.  
 45 Vobiscum modo sim, Reges sub paupere tecto  
 46 despiciam, et cunctis mihi ditior esse videbor.  
 47 Felix quem placido tandem pia numina vultu  
 48 aspicitis, silvasque inter saltusque salubres,  
 49 garrula qua molli decurrit gramine lympha,  
 50 excipitis fessum, et dulci recreatis in umbra.  
 51 Illum non sanis evertent sensibus herbae  
 52 quaesitae ad lunam, dirae non murmura sagae,  
 53 horrida nec saevae mutabunt pocula Circes.  
 54 An vero haec, Alfonse ingens, si saecla priorum  
 55 degenerant oblita decus, nec carmina curant,  
 56 Musarum quicquam nobis sit numine majus ?  
 57 Obliquis mundum sua per vestigia currens  
 58 signorum effetis defecit viribus ordo,  
 59 nec mutata suos requierunt sidera cursus.  
 60 Infensas acies rursus decernere ferro  
 61 accendet Mavors, et erunt etiam altera bella,  
 62 et setis iterum galeae spargentur equinis,  
 63 ferratoque ensi cedet jam vomeris usus,



64 crinibus effusis Phrygii prope flumina Xanti  
 65 errabunt trepidae natorum funere matres,  
 66 et junci bijuges rapiant per gramina currus.

## TRIMETRI OMNES

M24 v.1 Postquam Deorum permissu urbem pristinae  
 2 tranquillitati restitutam cernitis,  
 3 et nos otio tandem illorum ductu frui ;  
 4 nec non sermonis quae jam exciderat, dignitas  
 5 penitus jamdudum instaurata est, per Jovem  
 6 videri indignum potuisset, comoediam,  
 7 qua sic affectos majores nostros aiunt,  
 8 aequae ut nulli studuerint quondam illi rei,  
 9 ad vos tamen longo postliminio gressum adhuc  
 10 non retulisse, et vestros non rediisse ad lares.  
 11 Quapropter Dis omnibus auspiciis, haec quoque  
 12 eodem incedens cultu quo suevit prius,  
 13 vos tandem invisit, spectatores optumi,  
 14 soccos, pallam, nec non subligar agnoscite ;  
 15 Pudoris ne forte illam oblitam pristini  
 16 putetis. Congressu quod si primo parum  
 17 probabitur iudicio doctarum aurium,  
 18 reformidat quas semper non injuria ;  
 19 illi ut vos ignoscatis, aequum censeo, nunc  
 20 nam dudum terra infeliciter errat procul,  
 21 item quod multis usu ve..... ..intelligo ;  
 22 Latinae elapsus v..... ..dit.  
 22 Ne tamen ipsam flocci facere quisquam audeat,  
 24 Terentianam Eunuchum huc prudens attulit,  
 25 qua freta vestram sibi mox benevolentiam  
 26 restitutum iri arbitratur, tantum et fore  
 27 ut per vos animorum sumat, pro certo haec  
 28 ut communi qua nunc omnes lingua utimur,  
 29 suo demum uti posthac sibi jure liceat,  
 30 interea spectatores animum advertite.  
 31 Tum meretrix si qua in proscenio sessitat,  
 32 procaces, edico, oculos cohibeat, statim  
 33 ne vos ab capiundo argumento hoc avocet ;  
 34 nam qui principio argumentum prudens tenet,  
 35 is sane totam fabulam, ut vos nostis, tenet.  
 36 Longam ego spectatores permensus viam  
 37 ad vos tandem Nautae ornatu, non prologi  
 38 advenio, pedibus nequaquam fretus meis,  
 39 nec his, quis unusquisque vestrum innititur,  
 40 sed quibus in hunc portum saepius commeant  
 41 suas ut vendant cives, mercimonias.  
 42 Ac ne gestamen hoc admiretur quispiam,  
 43 quo tempus utrumque involutus prodeo,  
 44 navigatione is me non semper prospera  
 45 usum intelligat, factoque norit maris  
 46 impetu, ut misero de vento statim caput  
 47 condoluerit, qui dolor omnis vehemens licet  
 48 vestro congressu sic nunc lenitur tamen,  
 49 sedulitatis ut pigeat minus me meae.  
 50 Vos rursus adventus ne mei taedeat  
 51 faxo, omnibusque, ut potero, curabo modis,  
 52 ut salvum me advenisse gratulemini.  
 53 Sed o per deos oro, vobis Juppiter

54 si eligendi potestatem concesserit,  
 55 ut quicquid quis dixerit, id paratum fiet,  
 56 quae nam tandem vestram esse .... ..io ?  
 57 Statis ; at etenim tacentibus vobis mihi  
 58 omnem rem ordine jam nunc ariolari libet,  
 59 vos nempe quibus haec largo sinu difluit  
 60 lacerna, et nitidis unguentis humet caput,  
 61 reginas in concubinatum, credo, dari  
 62 postulabitis, aut pueros forte ingenuos.  
 63 Ad rem vero si fuerit quis paulo avidior,  
 64 auri montes quos condat, continuo petet,  
 65 formam alius, vires alius, vel prudentiam,  
 66 senectam nemo, aut morbos, famemve expetet,  
 67 aberret prorsus cunctis ni ille sensibus ;  
 68 verum longe majora, et quae in vestram sient  
 69 Rem magis apporto, spectatores optumi,  
 70 devictam auspiciis scilicet jam Caesaris  
 71 Africam, et rursus maria infecta sanguine  
 72 Punico, et Neptuni late sparsum gregem,  
 73 oras aequoris se se abdidisse in ultimas,  
 74 hoc animis aequis si ut par est perpenditis,  
 75 et quam erga Italiam se se illa tellus habeat,  
 76 quamque nunc vobis pugnandum esset cominus,  
 77 quod ignorare ... ..em arbitror,  
 78 profectos hinc vobis constitutas opes,  
 79 hinc partam tranquillitatem, hinc otio locum  
 80 factum, et deliciis, dubio cernetis procul.  
 81 Ergo illum curru mox sublimem candido  
 82 cernetis sacra laetum incedentem via,  
 83 onustosque ipsos Reges catenis trahi,  
 84 quorum dein spoliis ormentur sacra.  
 85 Interea omnes vos ob tam laeta nuntia,  
 86 et magnum imperio huic vestro decus additum,  
 87 ad ludos convenire frequentes par est.  
 88 Et quam Di omnes approbarunt victoriam  
 89 laetitiis, vultu, plausu atque animo prosequi,  
 90 Deamque ut sit perpetuo Caesaris comes  
 91 noctes diesque votis precari omnibus.  
 92 Sed eccum foras exit, qui ornatu scenico  
 93 pulchram jam vobis aliquam afferat fabulam,  
 94 silentium nam facere omnes sibi imperat.  
 95 Ego multa quae dicenda mihi supererant,  
 96 peracta memor mox fabella, prosequar.

## TYBRIS

C\_25 v.1      Pone metum, mea Roma graves jam pone querelas,  
           2      caerulus en adsum Tibris, non gurgite saevo  
           3      assurgens campis, aut cinctam fluctibus Urbem  
           4      invadens, tumidos amnes glomerantibus austris,  
           5      candida connubii portans sed vincula sancti,  
           6      quo Romana iterum caelo se gloria tollat,  
           7      Caesaridumque domus priscos instauret honores.  
           8      Pone metum mea Roma, graves jam pone querelas.  
           9      Alma Venus, quae cara tui spes sanguinis una  
 10      restat adhuc, florentem annis ne despice Juliam.  
 11      Et Phrygio qualis comsit se laeta marito  
 12      Argivos solvens Helene de litore puppim,  
 13      talis pulchra suo jungat se Julia Julo.  
 14      Pone metum, mea Roma, graves jam pone querelas.

15 Ipse ego qua nostris urgentur pinguia risis  
 16 culta, crocum, violasque feram, mollesque hyacinthos,  
 17 et loti epoto surgentia gramina rore.  
 18 Tu modo cum socii languescent gaudia lecti,  
 19 et fuerit Veneris tandem satiata cupido,  
 20 rura pete, et gratum Nymphis ne temne laborem.  
 21 Pone metum, mea Roma, graves jam pone querelas.  
 22 Laeta tibi comitum series effusa per agros  
 23 sarta parat, mollique caput percincta hyacintho  
 24 cunctantem his dudum compellat vocibus ultro,  
 25 vesper abit, tu vise pios, age, Julia, coetus,  
 26 is tibi nam conjux est, quem nec inertia tardet  
 27 haec ducta in multam rorantia pocula noctem.

- C\_26 v.1 Romani colles, et flavae Tibridis undae,  
 2 pinguia quae obliquo finditis arva pede,  
 3 vosque impulsa meis olim nemora alta querelis,  
 4 dum me flava gravi torquet amore Lyce,  
 5 quantus honor vobis, vobis quae gloria surgit,  
 6 o tibi Tibri pater gaudia quot properant,  
 7 formosos cum forte greges hac victor Iolas  
 8 duxerit, et sacro laverit omne pecus.
- C\_27 v.1 Invideat terris quaeris cur lumina Phoebus ?  
 2 Faustinae in roseo delitet ille sinu.
- C\_28 v.1 Auctus aquis, rapidoque trahens se gurgite cives  
 2 terrebat canis Albula vorticibus,  
 3 et superos maestis obtundens vocibus aras,  
 4 cingebat sertis Martia Roma novis.  
 5 Illam cum tumido arridens Pater almus ab amne,  
 6 talia sublato pectore dicta dedit.  
 7 Pone metum, nec te vesano trade dolori,  
 8 tuta tibi an Paulo es praeside visa parum ?  
 9 Qui potuit Regum toties componere motus,  
 10 frena idem injicet fluctibus apta meis.
- C\_29 v.1 Certa Dei hoc soboles recubat sub marmore Christus,  
 2 quem peperit nullo semine casta parens  
 3 non te Dictaei fallant mendacia busti,  
 4 vera Dei terrae sed data membra puta.  
 5 Horresco referens, trunco sublatus in alto  
 6 informis leti damna, crucemque tulit.  
 7 Succutitur tellus nigricans, saxa icta resultant,  
 8 Auctoremque suum maesta elementa gemunt.  
 9 Nos vero posthac miseri indignemur obire,  
 10 nos inquam fragilis pars quotacumque luti ?
- C\_30 v.1 Hic est ille olim medica notissimus arte,  
 2 Juliano Regi magnus Oribasius,  
 3 qui medicas populatus opes et dicta priorum,

- 4           qualis apis lecto sedula flore micat.
- C\_31    v.1    Nostra quod Aetiaco solvit de litore classis,  
           2            turpiter immisso naufraga fune perit.  
           3            Non hoc Octavi, rebus elate secundis,  
           4            virtutis munus duxeris esse tuae.  
           5            Ille mihi miserum me me qui surripit ille,  
           6            perdidit aeratas matre favente rates.  
           7            Nimirum Veneris prognatum sanguine, tardas  
           8            Antoni decuit diripuisse trabes.
- C\_32    v.1    Miratus nullo streperet quod lympha susurro,  
           2            Echo etiam hinc fugit Pan Tegeaeus ait,  
           3            ut tamen eliciat carae bona murmura Nymphae,  
           4            in sibi subjectas meiere coepit aquas.
- C\_33    v.1    Confectum proprio quisquis mucrone cadaver  
           2            aspicis, et secti gutturis antra paves,  
           3            si patriae es cupidus, si libertatis amator,  
           4            invisa est omnis si tibi barbaries,  
           5            unum oro, infelix patria ne condar arena,  
           6            Caesareo haec quando est subdita terra jugo.  
           7            Nec memores inscribe notas, nomenve Philippi,  
           8            ampla satis dextra haec mi monumenta dedit.
- C\_34    v.1    Fallaci dominum quod non delusit avena  
           2            spes anni, et solitas terra ministrat opes,  
           3            proventusque onerat largo flaventia rura,  
           4            messis et optatis frugibus horret ager,  
           5            serta dat haec magnae Cereri formosus Iolas,  
           6            spicea fert dulces filia parva favos.  
           7            Quamprimum torta culmos religarit avena,  
           8            tinguet odoratos bucula sacra focos.  
           9            Adsis magna parens, ventos, pluviasque sonantes  
           10            pelle procul, votis annue Diva piis.
- C\_35    v.1    Tu qui disjunctas utroque ab litore gentes,  
           2            et patefacta novis aequora curris aquis,  
           3            pulchri inhians aliquid, finem jam pone labori,  
           4            te conspecta semel parva tabella beat.
- C\_36    v.1    Corporis exiguos cura dum cogor in artus,  
           2            subducto matris lacte miser perii.  
           3            Ne tamen et fati nomen vis aspera tollat,  
           4            dilecti cineres haec canis urna tegit.
- C\_37    v.1    E Bacchi mensis furto mollissima vina

- 2           musti avidus quondam surpureat Satyrus.  
3       Quem Deus ob meritum forma multavit, et aere  
4           inclusum tepidas fundere jussit aquas.
- C\_38    v.1       Caesaris ingluviem fugiens ac vincla Philippi  
2           talia magnanimo dicta dolore refert :  
3       "Si fortuna meis potuit conatibus obstans  
4           saevitiae vires explicuisse suae,  
5       at fortem ostendat caedes, ferroque sequutum  
6           extrema aeternum fama loquatur anus."  
7       Dixit, et exsecto curis se gutture solvit,  
8           et petiit Stygios nobilis umbra lacus.
- C\_39    v.1       Hic ubi nunc flores tellus fecunda ministat,  
2           et picturato gramine ridet ager,  
3       formosa nuper pubes excepta taberna  
4           captavit somnos, immaduitque mero.  
5       Sic tu, cui parvi custodia credita agelli est,  
6           praedatum patrem nude Priape, venis.
- C\_40    v.1       Pasquilli ad saxum faciles concurrite Nymphae,  
2           mentula cui vestris usibus apta riget,  
3       quae non ramorum possit frondente corona,  
4           tota nec obtenta delituisse manu.  
5       Vos igitur properate nurus, properate puellae,  
6           eventus sunt haec non mala signa boni.
- C\_41    v.1       Lenta quod umbrosam vitis Peneida laurum  
2           implicat, et sacro stipite nixa viret,  
3       noli admirari, Phoebo haec concordia grata est,  
4           non fratri Daphnen invidet ille suam.  
5       Mox erit egregio properans cum carmine pastor  
6           decerpat fructus dulcis Iacche tuos :  
7       et gemina excitus secum meditetur in umbra,  
8           agrestes possit quod tenuisse Deas.
- C\_42    v.1       Expulsos quamvis silvis horrentibus apros  
2           proturbes firma firmus et ipse manu,  
3       et tua jam fulvos affectet dextra leones,  
4           magnaque sit lyncas vincere desidia ;  
5       sunt tamen Herculeae superes queis fortia clavae  
6           facta, Erymantheis anteferenda feris ;  
7       nam mihi si lites pridem quas intulit audax  
8           monstrum hominis, certa dempserit unus ope ;  
9       fortunae, fatigue olim celebrabere victor,  
10          et parient rarum mox tibi saecla decus.
- C\_43    v.1       Inclusis tingui nuper Sol aureus undis  
2           decreerat spreto Doridos obsequio,  
3       cum pictum ambustis cernens Phaetonta quadrigis  
4           horruit, optatos deseruitque lacus.

- C\_44 v.1 Pulchra jocis, uda Cypris dum sede quiescit  
 2 hac vobis inquit exitus unus erit,  
 3 quem mox connexis Charites clausere lacertis,  
 4 ne Venerem comites deseruisse queant.
- C\_45 v.1 Hac olim assuerant Charites se effundere porta,  
 2 Cypria dum nitidis membra foveret aquis.  
 3 Nunc tantum picto retinet vestigia muro,  
 4 ne Dominam possint deperuisse Deae.
- C\_46 v.1 Undosa ut nullis pateant haec limina curis,  
 2 ante fores Tytii poena cruenta monet,  
 3 aut igitur tristis cedat tibi pectore maeror,  
 4 ingressum aut noris te prohibente Dea.
- C\_47 v.1 Proluit alterno Nereus qua litora fluctu,  
 2 Gallicaque Oceano regna superba sonant,  
 3 emensus Morinum fines Farnesius orbis  
 4 spectabat ridens aequora vasta sui,  
 5 cum juvenem his senior compellat vocibus ultro,  
 6 divino retegens fata verenda sono.  
 7 "Haec tibi, magne hospes, spumabunt caerulea canis  
 8 fluctibus, et famulas hoc mare volvet aquas ;  
 9 cum rerum ingentes solus tractaris habenas,  
 10 tam bene conjunco quas moderaris Avo."  
 11 Dixit, et innumeras fudit per litora conchas,  
 12 crescentem debent quae sibi dona Jovem.
- C\_48 v.1 Venandi abductus cura Farnesius urbem  
 2 quod posset saevis posthabuisse feris,  
 3 ante Jovis solium quæta est Tritonia Phoebe,  
 4 incurans puero quod foret una comes,  
 5 cum pater, immo inquit studiis communibus omnes,  
 6 tam caro capiti nos vigilare decet.  
 7 Terrarum fasces merito cui fata reservant,  
 8 et quae nunc magno sceptrum tenentur Avo.
- C\_49 v.1 Sperne Paphon, patriasque simul jam desere myrtos,  
 2 et properes concha Cypria vecta tua.  
 3 Hic tibi non ullae turbabunt gaudia curae,  
 4 nec saevo irrumpet dente timendus aper.  
 5 Quare age lactentes profer Dea blanda papillas,  
 6 neu pigeat vitreis ponere membra vadis.  
 7 Hac poteris crines unda perfusa decoros  
 8 urere caelestes vel face nuda Deos.
- C\_50 v.1 Quisquis molle pecus vicina ad flumina potum  
 2 pastor agis, curas lanigerosve greges,

3 quae viridi cernis surgentia lilia campo,  
 4 absenti noris munera vota Deo.  
 5 Et procul hinc avidos tondent dum gramina morsus  
 6 arce oro, aut alia jusseris ire via.  
 7 Et mecum impubis veneratus gramina silvae,  
 8 talia non tacito carmine dicta refer.  
 9 Huc ades o magnis quisquis tu Regibus orte es,  
 10 et dextro properes ad tua dona pede.

C\_51 v.1 Terra parens gremio facilis complectere Iolam,  
 2 pro quibus excoluit te memor officiiis ;  
 3 nam tibi saepe oleae vivaces ordine plantas,  
 4 et facili posuit robora dura manu.  
 5 Dumque solo fluvium varios inducit in usus,  
 6 nunc pomo facta es commoda, nunc oleri.  
 7 Ergo senem complexa cirum fac molliter illi  
 8 ossa inter florum germina mixta cubent.

C\_52 v.1 Qui poteram teneris curam exhibuisse puellis,  
 2 contegor hoc parvo Lamprocomus tumulo.  
 3 Latratu Domini curas solabar et ore,  
 4 nil tamen his Orci signior ira fuit.

C\_53 v.1 Quod patefacta fori species augusta resurgit,  
 2 et cultu splendent marmora prisca novo,  
 3 muneris omne tui est, Urbis spes certa Latinae,  
 4 quo sine vel Pauli sceptrum minora forent.  
 5 Sume animos, tibi Roma situ nitet alta repulso,  
 6 et debent patriae jam tibi saxa tuae.

C\_54 v.1 Nina polo immodicos terris ut temperet aestus,  
 2 et cognata regat sidera, culta nitet.  
 3 Enectam pueri insidiis, et fraude petitam  
 4 Juppiter in gyro collocat aetherio.  
 5 Vos Divum acceptam mensis celebrate Poetae,  
 6 dignior est vestris nulla catella choris.

C\_55 v.1 Formicae aeternum pereat ne forte catellae  
 2 nomen, et infletis manibus umbra volet,  
 3 extinctam dominus maerens hac condidit urna,  
 4 cetera in Elysio condita sunt nemore.

C\_56 v.1 Ut tibi praescriptos transcendat gloria fines,  
 2 et cedant laudi saecula prisca tuae,  
 3 haec te terra manet nulli tentata priorum,  
 4 orbis Alexandro non satis esse solet.

- C\_57 v.1 Qua tandem miserum te in urbe reris,  
 2 Cursi vivere ? Qui tuis Camenis  
 3 insulsis fateor, nimisque ineptis,  
 4 dum res Itala fluctibus laborat  
 5 bellorum assiduis, parum modeste  
 6 quaesitum iveris ingeni pudendam  
 7 laudem, qua stolidos tibi favere  
 8 Belgas nescio quos miselle, cogas.  
 9 Ten fatis decuit, malum, sinistris  
 10 probis flentibus omnibus bonisque  
 11 ridere, et solita loquacitate  
 12 cygnis obstrepere anserem canoris ?  
 13 Facesse hinc potius procul maligne,  
 14 tu cum moribus his, nec eleganti  
 15 versu, nec placida elocutione  
 16 ten quisquam putet esse diligendum,  
 17 aut sana satis eruditione ?  
 18 O saeculum insipiens et infacetum !
- C\_58 v.1 Quod non inductae praestabant fontibus undae,  
 2 frigida cum sitiens flumina poscit humus,  
 3 nec matutinis demissus roribus imber,  
 4 arida nec pluvius qui novet arva liquor,  
 5 hoc ego cum superos peterem, votisque vocarem.  
 6 Nominis effecit largius aura tui.  
 7 In ventrem excrescens subito nam semine fetus,  
 8 qui mensas oneret, prodiit ecce, tuas.  
 9 Quid non jure igitur de te speremus Alexi,  
 10 ipsa tuo pendent tempora si arbitrio ?
- C\_59 v.1 Versus in <turpem> faciem Pasquillus obibat  
 2 ipse suum forma sub meliore diem.  
 3 Nescio qua subito motus cum mente, Priapus  
 4 induit is vultus, membraque tenta Dei.  
 5 Avertere oculos statim matrona pudicos,  
 6 virgoque purpureas tincta pudore genas.  
 7 Hunc tamen aspiciens quaedam non rustica limis  
 8 luminibus tales edidit ore sonos.  
 9 Tractanti ad digitum dura haec si forte resistat,  
 10 nos pater eventu saepe revise bono.
- C\_60 v.1 Capreolum spreto matris dum lacte vagatur,  
 2 venantum subitas nec timet insidias,  
 3 exceptum laqueis quondam, nunc paupere mensa  
 4 assuetum oblatas pone venire dapes,  
 5 mittit Alexander, pridem tibi deditus Idmon,  
 6 crescentem larga tu tibi pasce manu.
- C\_61 v.1 Quod pelago aequarit tumidarum flumina aquarum  
 2 Tibris, et obsessa fluxerit urbe minax,  
 3 ne desponde animum clemens, dant omnia laeta  
 4 haec tibi caeruleis stagna refusa vadis.  
 5 Sic tua non capient olim te Regna, sed ingens



6 Oceani aequabis finibus Imperium.

- C\_62 v.1 Ferrea rostra olim pressis erepta carinis,  
 2 quae Nili fractas testificamur opes,  
 3 ecce apibus parcis pingues praepandimus aulas,  
 4 congestum redolent, quis putet ? Aera thymum.  
 5 Caesaris haec ingens laus est, quo praeside pacis,  
 6 jucundos fructus arma inimica ferunt.
- M63 v.1 Accipe decoctas Umbris tibi solibus uvas,  
 2 farctaque virginea bina canistra manu.  
 3 Servatasque tuos paulatim confice in usus,  
 4 ora ferens dum nos tristia visit hiems.  
 5 Maffei que memor venientem dicito in annum  
 6 impleat haec pingues vitis amoena lacus.  
 7 Sic tibi languenti decedat corpore pallor  
 8 buxeus, et salvum jam mea dona petant.
- C\_64 v.1 Immissus Marium quondam qui carcere Cimber  
 2 sterneret, invisum confoderetque latus,  
 3 obstupuit sacra percussus imagine miles  
 4 confestim, invititas abstinuitque manus.  
 5 Plus uno hoc vincis Ductor nunc optime victo,  
 6 quam tua cum Cimbrum frangeret hasta minas.  
 7 Scilicet et superos flexit tua maxima virtus,  
 8 et fatis vultus plus potuere tui.
- C\_65 v.1 Dum Tibrim vinclis innaret Cloelia ruptis,  
 2 haec fertur mediis dicta dedisse vadis.  
 3 Este boni, et si qua est pietas, vos parcite fluctus,  
 4 quos majora meis viribus ausa seco.  
 5 Quae tamen ut peream, moriens jam sidera adibo,  
 6 aeternum et vestrum mors mea crimen erit.  
 7 Quid non virgineus potuit pudor ? Unda receptus  
 8 ipsa Dea tutos non renuente dedit.
- C\_66 v.1 In miseros stringis cives quid Spartace ferrum,  
 2 uno si cuncti cum Cicerone cadunt ?  
 3 Si satis, Antoni, Pharios quod viceris ausus,  
 4 quodque tuum exhorrent rostra, forumque scelus.  
 5 Excisa tamen hac frustra furis improbe lingua,  
 6 cujus te aeternum fulmina missa petent.
- C\_67 v.1 Tarpeiae probrum sileas jam fama puellae,  
 2 non poterat facto nobiliore tegi.
- C\_68 v.1 Quod fortuna tuis toties conatibus obstet,

- 2 et sit visa hosti saepe favere tuo,  
 3 idcirco id factum est, ut cum te vicerit ille,  
 4 quem te quod vincat suppuduisse decet.  
 5 Ipsius hoc Divae totum sit muneris, at tu  
 6 qui propria splendes Rex bone, fultus ope,  
 7 ne demitte animum, sed contra audentior ito,  
 8 virtuti lassas jam dabit illa manus.
- C\_69 v.1 Qua tibi surgentes arcus, pictaeque columnae  
 2 publica testantur gaudia, magne Pater,  
 3 aequabunt olim caelo se immania saxa,  
 4 nobile Pyramidum quis sileatur opus,  
 5 consignata notis aeternum grandibus, ut sit  
 6 unde sibi reges post documenta petant.
- C\_70 v.1 Terrarum brevibus maculis tibi v..... ..ras  
 2 format Alexander, quo tibi <terra fuit>.  
 3 Hoc quodcumque globi spectas, quam maxima terra est,  
 4 Farnesi sceptris serviet omne tuis.  
 5 Descripsit radio tibi nunc quod Vulpius, ut jam  
 6 incipias gentes noscere velle tuas.
- C\_71 v.1 Quem tu magne puer summis virtutibus orbem  
 2 erigis, et fesso jam moderaris Avo,  
 3 angusto inclusit gyro tibi Vulpius, ut mox  
 4 affectes caelo, sideribusque viam.
- C\_72 v.1 Victor Alexander sumptis dum fulminat armis,  
 2 angusto ingemuit se nimis orbe premi.  
 3 Quam melius hoc tu, cujus jam sceptrum veretur,  
 4 hic radii quicquid Vulpius ambit ope.
- C\_73 v.1 Imperio attingas orbis quo, Maxime, punctum,  
 2 haec ignota tuis fascibus ora dabit.
- C\_74 v.1 Fulcis, Alexander, quem nunc virtutibus orbem,  
 2 descripsit radio Vulpius atque manu,  
 3 ut cum fa.... terras compleveris omnes,  
 4 tunc ca ..... <si>deribusque viam.
- C\_75 v.1 Dum Paulo Perusina manus plebs tendit inermes,  
 2 et rogat admissum fraude carere scelus,  
 3 ingemit, et solio vinctos miseratus ab alto,  
 4 talia Romanus protulit orsa Pater :  
 5 vivite, vicisse ut levis est vos gloria, victis  
 6 parcere sic non est gloria nostra levis.  
 7 Quod duce te horrentem fuerit contemnere molem,  
 8 et quas excindant vix manus ulla fores ;  
 9 quod furiarum ora, et succensas sulphure taedas

10 in me unum audaci pectore dispulerim,  
 11 Te vereor, virgo, silvae quae laeta per hujus  
 12 illaeso ingrederis avia caeca pede.  
 13 Muneris omne tui est, certo quod robore firmor,  
 14 mens mea nec tantis concidit icta malis.  
 15 Tempus erit positis cum te venerabimur aris,  
 16 nunc tantum posti floridaserta damus.  
 17 Hunc ferri stridorem inter, et iniqua furentum  
 18 verbera, te dignos tu mihi praebe animos.

C\_76 v.1 Ultorem celebrat pubes dum Romula Martem,  
 2 laetaque Gradivi personat arma sui,  
 3 spectandi studio terris allapsa Dione,  
 4 nota sibi Aeneadum protinus arva petit,  
 5 formososque Annae se se transformat in artus,  
 6 atque ementitis vultibus alta sedet.  
 7 Contingi humano non quae se lumine vitet,  
 8 sed Marti ut placeat sic mage pulchra suo.  
 9 Jure igitur mortale genus te suspicit unam,  
 10 urere caelestes quae potes, Anna, Deos.

C\_77 v.1 Hic si contingi sinant se Numina claro  
 2 lumine, nec radios vis premat ulla suos,  
 3 immixtas Satyris Nymphas spectare licebit  
 4 ducere lascivos ante sepulchra choros.  
 5 Quin etiam tanto si nos dignetur honore,  
 6 Musarum dulces haec dabit urna sonos.  
 7 At choreis alii tumulum, cantuque frequentent,  
 8 aeternum lacrimis nos maduisse juvet ;  
 9 nam tecum Veneres omnes periere, leporque,  
 10 et Grai fuerat quicquid in urbe salis.

C\_78 v.1 Aspectans Ladae pictos Saturnia vultus,  
 2 et tectum pluma delituisse Jovem,  
 3 "Tene ego ! ut ipsa meos violes sic perfida amores ?  
 4 Idque feras tacitum ?" Dixit, et erubuit.

C\_79 v.1 Spectabat rapido tumefactum gurgite Tibrim,  
 2 magnanimo has voces cum dedit ore leo.  
 3 Currite mutatis auro vaga flumina lymphis,  
 4 perpetua ut possim fundere dona manu.

C\_80 v.1 Magna parens, quacumque pates mortalibus aegris,  
 2 uni jam toties facta noverca mihi,  
 3 tu fesso, exigua capiunt dum membra quietem,  
 4 sis facilis, nato si Jove digna precor.  
 5 Mox operi accingar, superet quodcumque laborum,  
 6 quando alia ad caelum non datur ire via.

## IN GALLUM BELLUM REPARANTEM

- C\_81 v.1 O te praecipitem, miser  
 2 angit quis fatuus jam nimium dolor,  
 3 aut quae te furiae premunt,  
 4 perfractis toties viribus impotens !  
 5 Bello ut denuo provoces,  
 6 astrorum memorem, ac fulminis alitem ?  
 7 Cujus saucius unguibus,  
 8 vix tandem laqueis eximis indecens.  
 9 Rostrum nuper, et irritis  
 10 imples, quod decuit, questibus aethera.  
 11 Proh nunc omine quam malo,  
 12 intermissa modo bella iterum moves.  
 13 Nempe id scilicet asperum  
 14 est visum tibi, quod sensibus integris ;  
 15 sed feras tacitum hoc licet,  
 16 dudum perfruerere, et patrii ingeni  
 17 oblitus, variam Deam  
 18 horreres Nemesim, atque instabilem rotam.  
 19 O quam mox cupies greges  
 20 inter versicolores cavea in levi,  
 21 obscenasque simul dapes  
 22 exegisse diem inglorius ultimum !  
 23 Sparges cum sola sanguine,  
 24 atroque hoc adipali icore alites  
 25 pasces, ludibrium quibus  
 26 differre amplius est et scelus, et nefas.
- C\_82 v.1 Hic mihi si ductis contingat sortibus urna,  
 2 largius assuetas exhilarare dapes ;  
 3 seu lacte id fuerit, dulcive abdomine porcae,  
 4 praepingui pastu seu magis altilium ;  
 5 Ipse tibi testem tanti mox muneris aram,  
 6 o Praenestina quae Dea rupe sedes,  
 7 instituat, et variis obtentis limina sertis,  
 8 parva licet, puris dona feram manibus.  
 9 Tu bona sis, facilisque meis illabere votis,  
 10 meque tuis tandem ludere parce jocis.
- C\_83 v.1 Aggere quod rupto Tiberis dum permeat urbem  
 2 intactam Cursi liquerit amne domum,  
 3 in promptu causa est, ipsis vel cognita saxis,  
 4 ipsa etiam versus horruit unda tuos.
- C\_84 v.1 Palma tua est merito, tuaque est Rodulphe corona,  
 2 nam tibi pro scopulis Cursius unus erit.
- C\_85 v.1 Quod te quercus alat silvarum gloria Cursi,  
 2 hic tibi setigero est cum sue partus honos.

- C\_86 v.1 Auctus aquis Tibris, solitoque rapacior, urbem  
 2 terrebat miris per loca quaeque modis.  
 3 Pulchra puellares inter cum Julia coetus  
 4 irati ad ripas substitit una Dei.  
 5 Nec mora compositis subsidit fluctibus amnis,  
 6 ac stagno propior, persimilisque fluit.  
 7 Julia, luminibus quis non capietur ab istis,  
 8 si nequeunt oculos flumina ferre tuos ?
- C\_87 v.1 Excisam saxo, tenui qua perstrepit unda  
 2 rivulus, aspectans Cyprisa Pallas ait.  
 3 Jure tibi formae primi debentur honores,  
 4 quae lapis, et somno vincere victa potes.
- C\_88 v.1 Alma parens, altrixque hominum, genitrisque ferarum  
 2 uni jam toties facta noverca mihi,  
 3 defessum emenso jam jam sub fine laborum  
 4 accipe, meque odiis exsaturata juva.  
 5 Mox extrema sequar, superet quodcumque pericli,  
 6 quando alia ad caelum non datur ire via.
- C\_89 v.1 Limpidulo flavum mutet quo gurgite Tibrim,  
 2 seque nova Nais laeta receptet aqua,  
 3 undosam struxit procurvo pumice sedem  
 4 Guidus, et hinc curas jussit abesse graves.  
 5 At tu, cui sacri est custodia credita fontis,  
 6 imperturbatos hos rege Diva lacus.
- C\_90 v.1 Spectat agonales nuper dum Paulus ephebos,  
 2 percurritque animo saecula prisca senex,  
 3 ingemui, justosque inquit Solimane triumphos  
 4 quid differs votis ultima cura meis.  
 5 Jamdudum veros ardet mens cernere currus,  
 6 collectam ex longo tu mihi deme sitim.
- C\_91 v.1 Juppiter aeterno felix dominatur Olympo,  
 2 Farnesi sceptris terra recepta nitet.
- C\_92 v.1 Aurea quae quondam fueras, modo ferrea Roma,  
 2 Aurea nunc Paulo es sub duce facta iterum.
- C\_93 v.1 Pinxit, Alexander, terrarum Euphrosynus oras,  
 2 omnis quo pateat terra sub ora tibi.  
 3 Imperio attigeris cujus cum, maxime, punctum,  
 4 nulla, rogat, tanti pars vacet orbis ope.

- C\_94 v.1 Lilia, et os longo contextos ordine flores  
 2 Miltiadis virgo composuere manus,  
 3 unde tibi nexis intendat torquibus aras,  
 4 et reddat sanctis annua tura focis.  
 5 Tu quae in honore tuo supplex, et puriter egit,  
 6 accipe, neve aliis esse minora puta.  
 7 Pro quibus ut prolem serves rogat ille paratam,  
 8 quae tibi nunc vacua est sola relicta domo.
- C\_95 v.1 Dum lini segetem nocturna ad lumina purgo,  
 2 et juvat hinc molles atteruisse manus,  
 3 paulatim incipiunt longae procedere noctes,  
 4 et dulces somnos tardior hora ciet.  
 5 Tum mihi post septem obrepas, si forte sopore  
 6 assuetum mater fessa remittat opus.  
 7 Huc ego quae dudum Lycida intemerata reservo  
 8 oscula, nec fratri cognita, mille feram.  
 9 Tantum vix teneris illidens gramina plantis  
 10 disce pedem nullo tu mihi ferre sono.
- C\_96 v.1 Ebria cui studium est primo cum lumine solis  
 2 collectam tenui pellere rore sitim,  
 3 ramorum densis latitas quae garrula in umbris,  
 4 arbuta stridenti rumpere docta sono,  
 5 Naiadum, Dryadumque comes, sola arbitra Musae  
 6 silvestris, Panos aemula montivagi,  
 7 sub platano umbrosa projectum carmine Thyrsim  
 8 falle novo, assuetis tu mihi parce sonis,  
 9 protinus ut fesso longa regione viarum  
 10 irriget optatus languida membra sopor.
- C\_97 v.1 Messorem flavis jam jam qui inducere aristis  
 2 apparat, et fruges stringere falce novas,  
 3 lacte favos Alcon Cereri, et haec liba Lyaeo  
 4 diluit, et supplex te in sua tecta vocat.  
 5 Tu nunc praevalidas vires, atque ilia firma  
 6 suffice, languentes aspice Diva manus,  
 7 illi dum assiduis male habet complexibus Aeglen  
 8 infregit dura condicione latus,  
 9 triticeae ante fores tibi mox de more corollae  
 10 pendebunt ..... <mu>nera larga voli.
- C\_98 v.1 Ingentes oculos intorquens lumine glauco  
 2 spectabat patrias surgere Tibris opes.  
 3 Isque ubi tendentem Alcidem per litora vidit,  
 4 caeruleo tales edidit ore sonos.  
 5 "En mihi promissum totiens, quem Mantua nobis  
 6 jamdudum assiduis invidet obsequiis,  
 7 invideat licet ipsa, tamen te maxima Roma  
 8 aeternum fati mittet in Imperium."  
 9 Dixit, et ingenti rursus se proluit amne  
 10 largior, et rapidis in mare fluxit aquis.

- C\_99 v.1 Alcides Galatea tibi se praeferet olim,  
 2 me meus, et nostro non neget igne capi.  
 3 Atque lacu patrio permutet Tibridis amnem,  
 4 sitque Amaryllis, erat quod Galatea prius.  
 5 Ipsa libens Veneri, nuper quae plurima vovi,  
 6 pollicita reddam congrua dona meis.  
 7 Alma fave, promissa tibi dum munera servo,  
 8 spemque tui miseram saepe tulisse juvet.
- C\_100 v.1 Hanc Amaryllis acu tunicam insignibat et auro,  
 2 Alcidi rarum quae foret una decus,  
 3 et nemorum frondes, cinctosque indagine saltus  
 4 solerti ardebat disposuisse manu.  
 5 Praedonum cum saeva cohors irrupit, et omnis  
 6 effusus periit tunc tibi sancte decor.  
 7 Tu tamen inceptam quamvis bonus indue vestem,  
 8 Hercule cum liceat munera digna feres.
- C\_101 v.1 Quae tibi tunc viridi mittit distincta colore  
 2 tatrix Palladia nobilis arte Lyce,  
 3 sume libens, sed plena simul cum gaudia adibit,  
 4 splendenti fuco tunc magis apta dabit.  
 5 Purpureum quin ducet acu tibi laeta galerum,  
 6 ne vultum candor, deficientque nives,  
 7 sepositisque urgens calathis, curaque fideli  
 8 lassabit teneras in tua vota manus.
- C\_102 v.1 Damoni donatum olim quo saepe solebat  
 2 pellere lanigeros cognita ad antra greges,  
 3 quoque ille incursus varios turbasse luporum  
 4 dicitur, et saevas non timuisse feras.  
 5 Tu ne temne pedum Alcida, quod rusticus Idas  
 6 dat tibi non parvi munera parva animi.  
 7 Tempus erit totis cum exploret robora silvis,  
 8 Herculea inveniat si mage digna manu.
- C\_103 v.1 Si formam, mater Venus est, si facta, nisi tu  
 2 dissimules Martem, Mars pater ipse tibi est.  
 3 At vere tibi Mars pater est, materque Dione,  
 4 nec nisi de Venere et Marte creatus Amor.
- C\_104 v.1 Quicquid agis, seu forte novum meditaris Amorem,  
 2 summisso dulces seu canis ore modo ;  
 3 candida seu tereti supponens brachia collo,  
 4 quaeris languiduli fessa soporis opem ;  
 5 seu molli nitidum pectus fultam hyacintho,  
 6 te juvat in multa procubuisse rosa ;  
 7 immitis miserum morti, et non digna retractas  
 8 vulnera, per quae omnis dissita vis animi est.

9       Quin etiam niveae excurrunt vestigia plantae,  
10       it quaecumque tuo semita trita pede.  
11       Cuncta olim haec nostri cordis fecere rapinam,  
12       Vince alios, Mens haec Furnia tota tua est.

C\_105   v.1     Solis inaccessam radiis quis cautibus horrens  
2       vitem aluit dira sub regione locus ?  
3       Ten Scythia, aut nivibus densis insessa Pyrene,  
4       aut tulit Hispani ferrea gleba soli ?  
5       Immites turpi fundens quae palmite succos,  
6       tentantum miris inficis ora modis,  
7       digna Lycurge, tua tandem haec quae sola bipenni  
8       ad terram pronò vertice caesa cadat.

C\_106   v.1     Ornabat tumulum sertis, et busta novercae  
2       spargebat lactis fontibus Eunomius ;  
3       vulsa sepulcralis miserum cum forte columna  
4       proterit, et sparsam sanguine tingit humum.  
5       Parcite privigni posthac deflere novercas,  
6       quarum etiam tumuli, saevaque busta nocent.

C\_107   v.1     Pellentem Eridani mediis in fluctibus Acmen  
2       laeta Venus placidam pectore vidit aquam.  
3       Et laterum mirata decus, teretesque lacertos,  
4       pectoraque alpina candidiora nive,  
5       "Oceani, dixit, partu non territus amnis  
6       ipse suam hic gelidis Cyprisa fudit aquis."

C\_108   v.1     Agricolae in puppim rigidas inflectere pinus  
2       parcite, Taurinis pellibus alta patent.  
3       Aerea vincla procul valeant, clavusque trabalis,  
4       nam lino paries jungitur hic melius.  
5       Quasque solo vexere prius volventia plaustra,  
6       acceptas tandem proluit unda rates.  
7       Argo alii celebrent, Pallas tu laeta Sabini  
8       aequora navigiis fac Dea tuta novis.

C\_109   v.1     Sol pater, eductum stellis tibi, magne, colossum  
2       aurato erexit nobilis imbre Rhodos.  
3       Conflatum tunc, cum sopitis fluctibus, illa  
4       bellorum hostiles praetulit exuvias.  
5       Hinc pelago cives, terrisque insigne superbum  
6       in celebri memores constituere loco.  
7       Nimirum Herculeo prognatam sanguine gentem  
8       jura decet terris, jura dedisse mari.

C\_110   v.1     Pelidae tumulum memores posuere Pelasgi,  
2       invictum ut timeat nunc quoque Troja ducem.  
3       Fluctibus alluitur saevo quo murmure ponti,



4 ornetur flavae progenies Thetidis.

- C\_111 v.1 Sub truce quid nidum suspendis Colchide hirundo,  
 2 congerere educta cum trabe tuta queas ?  
 3 An dulces quondam potuit quae perdere natos  
 4 pignoribus parcat sanguinolenta tuis ?  
 5 Scilicet excussus nondum tibi ..... Tereus  
 6 mutatisque ferox artubus ..... .
- C\_112 v.1 Nostra tuas si forte aures vox perculit, Hector  
 2 desine Pergameis ingemuisse malis,  
 3 Troja renascentes reparat, fortissime, vires,  
 4 aemula virtuti qua potis illa tuae,  
 5 Myrmidones periire, memor tu dicito Achilli  
 6 Thessaliam Aeneadum frena superba pati.
- C\_113 v.1 Ignibus ure meum saevis caput, et pete ferro,  
 2 membraque vel scopulis disjice vel pelago.  
 3 Nam dominae quisquis cura tabescit inani,  
 4 irati peterit fulmina ferre Jovis.
- C\_114 v.1 Multa vorans, et multa bibens, et multa locutus  
 2 turpe homines, jaceo Timocreon Rhodius.
- C\_115 v.1 Italia vanis quotiens elusit avenis  
 2 spes anni, et segetem terra ministra negat,  
 3 invisam Siculis pestem solamur aristis,  
 4 atque inopes alimur fertiliore solo,
- C\_116 v.1 Ecce tibi intexit doctis, Pater optime, chartis,  
 2 quas fugias prudens, quasque sequare dapes.  
 3 Et Graium reserat direptis horrea culmis,  
 4 et fluit Hyblaeo nectare Balamius.  
 5 Plus patriis igitur nobis hic praestitit oris,  
 6 quo duce tuta sui praeside terra nitet.
- C\_117 v.1 Oceani surdis nihil est crudelius undis,  
 2 pulchra Venus, rabido es sed tamen orta mari.  
 3 Armatum exhorrent caeli pia numina Martem,  
 4 belligeri tractas tu tamen arma Dei.  
 5 Suggestit irato Vulcanus fulmina patri,  
 6 tardipedem amplexu quem Cytherea foves.  
 7 Hinc flammam praebet conjux, hinc Marspiter enses,  
 8 hinc rabiem qui te protulit Oceanus.  
 9 Nos vero exitium quod non speremus amantes,  
 10 si Venerem rabies, ira, furorque juvant ?

- C\_118 v.1 Acta odiis rapti quondam Ganymedis honorum  
 2 hos Juno tristes edidit ore sonos.  
 3 "Troja mares postquam peperit tibi Juppiter, ignes  
 4 me duce Dardaniae jam Paris ignis eat.  
 5 Ast ego non aquilas spectans incendia mittam,  
 6 mortua qui laceret viscera vultur erit."
- C\_119 v.1 Caligenes terris mandat dum semina, vatem  
 2 consulit, ignarus quid ferat hora sequens.  
 3 Tum radio vates magni flammantia mundi  
 4 lumina suspiciens talia Caligeni,  
 5 si non officient hiberni frugibus imbres,  
 6 concipiet certa si tibi terra fide,  
 7 abstineant avidas volucres si forte rapinas,  
 8 laesa nec immiti grandine farra cadant,  
 9 si non procumbet pronus tibi culmus aristis,  
 10 immiscente acri praelia saeva noto,  
 11 ipsa tibi largos portendunt sidera fetus,  
 12 tu sata rubigo ne voret atra, cave.
- C\_120 v.1 Communis Fati consors deduxit ad Orcum,  
 2 viventem duxit quem bene lembus apim.  
 3 Quaesiit huic pelago victum, exussitque jacentem  
 4 ille comes praedae, funeris ille comes.  
 5 Felix cui licuit propria decurrere puppi,  
 6 et maria, et Stygios per vada nigra lacus.
- C\_121 v.1 Delphinum ingentem curvi prope litora fluctus  
 2 in sicco nuper destituere solo,  
 3 quem tumulo inventum pubes miserata recenti  
 4 condit, et aggesto caespite membra locat.  
 5 I nunc, et pelago demens te crede furenti,  
 6 quod potuit fetus enecuisse suos.
- C\_122 v.1 Tres capit hoc Divos marmor, nam vertice Pana  
 2 montivagum mira finxit ab arte faber,  
 3 Alcidem referunt villosi pectoris artus,  
 4 brachiaque eductis conspicienda toris.  
 5 Mercurii at volucres praebent tibi numina plantae,  
 6 aurea plumato qui terit astra pede.  
 7 Ergo libens da tura hos .....nore in uno  
 8 Tres potis est supplex .....
- C\_123 v.1 Humida suspendit Nymphis haec retia Damon,  
 2 et simul haec ponto cognita tela truci.  
 3 Illum amnes, vastumque olim dum verberat aequor,  
 4 exedit vesco curva senecta sale,  
 5 ut neque sufficiant linis jam membra trahendis,  
 6 imbelli nec sint arma tenenda manu.

- 7 Vos liquidas aperite vias per caerula tuti  
8 pisces, quis illo est parta sedente salus.
- C\_124 v.1 Hos cultros, atque haec parvi liventia plumbi  
2 fragmina, et enodes hos pariter calamos,  
3 linaque jamdudum furvo saturata colore,  
4 regia quaeque illi nunc male charta perit,  
5 loraque membranasque et longo trita labore  
6 instrumenta, aetas dum magis apta sinit,  
7 cuncta Phanodeus Musarum appendit in aede,  
8 lumina namque senem, deficiuntque manus.
- C\_125 v.1 Eversam agricolae ventorum turbine pinum  
2 in puppim frustra vos domuisse juvat.  
3 Non poterit casus arbor perferre marinos,  
4 quae nondum tacto naufraga facta salo est.
- C\_126 v.1 Obsita ruderibus, saevisque inclusa cavernis  
2 Nais, cum Latiae diriperentur opes,  
3 excisae interitum deflebam perdita Romae,  
4 aeternum exoptans oculuisse caput.  
5 Ecce iterum luci longo post tempore reddor,  
6 et datur everso serpere posse foro.  
7 Hoc tamen ingratum est caeli spirabile lumen,  
8 liberaeque invitae auctibus ora datur.  
9 Aut igitur tenebris rursus me conde viator,  
10 fletibus aut nostris tu quoque junge tuos.
- C\_127 v.1 Errantem oblita peteret dum matre Corebum,  
2 jamque acies flexis cornibus ingrueret,  
3 irrui Herculeis fractis per devia vinclis,  
4 moxque feram immani vulnere scindit aper.  
5 Sic pavido vitam reddit ..... Juno  
6 infantem Herculeam per mare ..... .
- C\_128 v.1 Ereptae Architeles deflens ad busta puellae,  
2 condidit heu patria moesta sepulchra manu.  
3 Quis duxere notas haudquaquam ferrea caela,  
4 larga sed e tumidis flumina missa genis.  
5 At parvae urgeto marmor tu leniter ossa,  
6 ut verum agnoscat gnata parentis opus.
- C\_129 v.1 Lux redit everso Paulus qua maximus orbe  
2 suscepit fasces martia Roma tuos,  
3 quis Italis auctus pacem jam reddidit oris,  
4 attritus sulcis vomer ut ante nitet.  
5 Mox saevum in Turcam ferrum diffinget, et ultra  
6 Oceani fines proferet Imperium.  
7 Laeta novos iterum spectes ut Roma triumphos,

8           attollens celsis urbibus alta caput,  
9       tu modo sancta focis imponens tura precator,  
10          Aeternum votis hunc revocare diem.

C\_130   v.1    Aerea quid nostros ortus tormenta salutant,  
2           cum bona jucundae nil nisi pacis amem ?  
3       Me nascente orbis pacem nam magnus agebat,  
4           praevia venturum nocerat illa deum.  
5       Caesaris haec magnos resonent displosa triumphos,  
6           colla catenatus cum sibi Turca dabit.  
7       Tura Jovem, castaeque decent ad templa puellae,  
8           cinctaque odoratis floribus ara juvat.

C\_131   v.1    Cresceret in ventrem ut cucumis natura creatrix,  
2           jura orbi edixit cum daret illa suo.  
3       Hujus at attactu versis nunc legibus omnis  
4           oppleto raptim femina ventre tumet.  
5       Roma tuis tortus cucumis ni vellitur hortis,  
6           haud parvo haec stabunt omnia dira tibi.

C\_132   v.1    Forte Jovi tunicam pensis affixa Dione,  
2           urgebat celeri conspicienda manu,  
3       ad Martem intendens digitum cum talia Pallas,  
4           hic alter verses quae tibi pensa dabit.

C\_133   v.1    Insessos gelida colles dum fonte pruina  
2           cervorum aufugeret frigore victa manus,  
3       transmisere amnis tepidas de more lacunas,  
4           ut foveat solitus languida membra calor.  
5       Cum gelido timidos crescens sub flumine crusta  
6           alligat, et strictis horrida fallit aquis.  
7       Rustica sic nullo gens hos epulata labore est,  
8           Mille olim includi qui nequiere plagis.

C\_134   v.1    Callirhoes vultus hic multa daedalus arte  
2           expressit saeva tabe peresus Acon,  
3       proderet ut flammis, namque haec ut cera liquescit,  
4           sic miserum saevo Cypris in igne liquat.

C\_135   v.1    Hoc, Accolte, tibi decerptum divite ramo  
2           vecta tulit Libycis fusca puella vadis.  
3       Quod proprium quamvis late diffundat odorem,  
4           Virginis ipsa tamen gratius aura facit.  
5       Tempus erit pleno properet cum candida cornu,  
6           atque uni Accolto commoda tota ferat.

C\_136   v.1    Quod subitura manum chirurgi mentula salva est,

2           atque iterum venis grandibus aucta riget,  
 3       de cera hanc factam sacrat Matera Priapo,  
 4           et testem mentis hanc iubet esse suae.  
 5       Quod miserum si forte olim non spernat amantem,  
 6           bruscula, et optanti gaudia laeta ferat,  
 7       tota ardens, Tyrioque caput praecinctorum cucullo,  
 8           et Domino tandem concolor ipsa suo,  
 9       ante fores memori pendebit picta tabella,  
 10           quam nec longa olim deleat ulla dies.

C\_137   v.1       Agrestes Nymphae, flavi quas Tibridis unda,  
           2           laetaque vicinis fontibus antra juvant,  
           3       has pictis aras circum variantibus herbis,  
           4           suscitat e vivo caespite Miltiades,  
           5       vobis quas cornu ductus, Cererique quotannis  
           6           imbuat e parva mysticus hircus hara.  
           7       Tantum nocturnas procul hinc arcete rapinas,  
           8           abstineant avidas femina virque manus ;  
           9       dum Regum mensas dapibus postponit inemptis,  
          10           Musarum dulces subsequiturque choros.

C\_138   v.1       Miranti obscuro Daphnem frondescere in antro,  
           2           et sine perpetuos sole virere dies,  
           3       reddita vox, Phoebum fugiens hic condor, et arbor  
           4           facta licet nondum lumina amantis amo.

C\_139   v.1       Perculsam Libyco dum Caesar in aequore classem  
           2           spectat, et obstructas per vada caeca vias,  
           3       crinibus effusis Pietas, "Proh Juppiter, inquit,  
           4           vincimur, et vincunt te quoque fata Jovem.  
           5       Dirige pacatum genitor pia vela per aequor,  
           6           sic tu servato numine numen eris."  
           7       Dixerat, at ..... litore Caesar  
           8           est .....s Hesperiae.

C\_140   v.1       Sanguineos magnae pueros duo lumina Romae,  
           2           par quibus intoto Sol videt orbe nihil,  
           3       depereunt, Latiaeque nurus, juvenesque senesque,  
           4           in mediis ardet Tiberis et ipse vadis.  
           5       Tanguntur Superi invidia, Ganymede quod uno  
           6           astra micent, jactet Roma superba duos.

C\_141   v.1       Si quis flere uno tandem vult funere quicquid  
           2           humanis flendum casibus esse queat,  
           3       Quintiliae hic tumulum lacrimis perfundat obortis,  
           4           aeternum posthac lumina sicca gerat.

C\_142   v.1       Quaesitum extremis Pan Maxime ab usque Britannis  
           2           hunc catulum parvus dat tibi habere Lycon.

3 Qui tibi procurva cingenti indagine valles,  
 4 indefessus eat per juga summa comes.  
 5 Silvarumque sagax latebris horrentibus actas,  
 6 vel saevas properet sollicitare feras.  
 7 Tu ne temne breves angusti corporis artus,  
 8 exiguis membris vis numerosa latet.

C\_143 v.1 Exemptam media de Palladis Aegide dicas  
 2 Gorgona, quam parvo claudit in orbe lapis.  
 3 Quin et monstrifici perstant miracula vultus,  
 4 vivit, et innumero palpitat angue caput.  
 5 Tam similis non ipsa sibi est, se forsitan olim  
 6 vidit, et a speculo saxea facta suo est.

DE PAULO III PONT. MAX. ET CAROLO V

C\_144 v.1 Bella Pater Summus <saevos> molitur in hostes  
 2 et pace, et bello munus obit superum.  
 3 Caesar it, et juncis pariter Farnesius armis,  
 4 qui pia suspiciunt omine bella pari.  
 5 Caede rubescentem videor jam cernere Rhenum,  
 6 impia sub molles corpora volvere aquas.  
 7 Fortunata aetas, cui post tot saecula licebit  
 8 Ausoniam prisco cernere honore .....

DE ALEXANDRO FARNESIO ET CAROLO V

C\_145 v.1 Fregit Alexander vires Orientis, et Indos  
 2 sub grave vix puber compulit ire jugum.  
 3 At Caesar, medio Phoebus quod torret ab axe,  
 4 quidquid et extremo tunditur Oceano.  
 5 Nomina nunc coeunt, socialia viribus aequis,  
 6 Caesar Alexandro juncus in arma ruit.  
 7 Et Jovis accedunt ultoris tertia castra,  
 8 jam scelerum poenas impia terra dabis.

AD MARTEM ET JOVEM

C\_146 v.1 Mars pater et custos Tarpeiae Juppiter arcis,  
 2 et tu cum sancto flumine, Tibri, tuo ;  
 3 si Latiis castas fuerit vincere catenis,  
 4 atque triumphali cingere fronde caput,  
 5 non modo tura dabunt templis et sarta Quirites,  
 6 sed tingent sanctos taurus, et agna focos.  
 7 Impia quas aras sedavit turba piabit,  
 8 sanguine et ante Deos victima justa cadet.  
 9 Signaque Teutonicis direpta e postibus ipse  
 10 Dux referet primo restituenda Jovi.  
 11 Este boni, fortuna Ducum, vos usque secundos,  
 12 et dirae ul<tores nunc> socia arma vocant.

IOLAS

C\_147 v.1 Quod non fallaci dominum delusit avena  
 2 Spes anni, et solitas terra ministrat opes,

3 proventuque onerat largo flaventia rura  
 4 mēssis, et optatis frugibus horret ager,  
 5 sēta dat haec magnae Cereri formosus Iolas  
 6 Spicea, fert dulces filia parva favos.  
 7 Quamprimum torta culmos religarit avena,  
 8 tinget odoratos bucula sacra focos.  
 9 Adsis magna parens, ventos pluviasque sonantes  
 10 pelle procul, votis annue Diva piis.

MOLSA EPITAPHIUM, HIERONYMI FRACASTORII

- C\_148 v.1 Romani solus curas qui Principis aegras  
 2 mulcebat Molsa heu carmine molliculo,  
 3 carmine, quo perhibent motasse cacumina colles,  
 4 implicuit liquidum Tibridis unda pedem,  
 5 non vos demulsit, fata aspera, nullius expers  
 6 artis, nullius nescius eloquii.
- C\_149 v.1 Hic ubi structa brevi tibi nunc monimenta labore  
 2 publica testantur gaudia, magne Pater,  
 3 attolent olim caelo se immania saxa,  
 4 nulla queat veniens quae soluisse dies,  
 5 consignata notis aeternum grandibus, ut sit  
 6 unde sibi Reges jam documenta petant.
- C\_150 v.1 Disjectam aspiciens classem Neptunus in undis  
 2 Caesaris, et toto naufraga vela mari,  
 3 risit, et iratos componens aequore fluctus,  
 4 talia sublato pectore dicta dedit :  
 5 "Invitum toties quid me temerarie tentas,  
 6 ingluviem hanc explet num tibi terra satis ?"
- C\_151 v.1 Ut jactata diu ventis tibi vela secundis  
 2 incurvet gemino sidere tuta ratis.  
 3 Bina tibi haec nostros imitantia lumina ocellos  
 4 in gemma finxit divite laetus Amor.  
 5 Scilicet incubuit Ponto jam mollior aura,  
 6 jamque regunt stabilem sidera nostra ratem.  
 7 Tu modo ne crebris animum demitte procellis,  
 8 tuta dabunt oculi mox freta summa duces.
- C\_152 v.1 Huic fuerat gemmae sensim exhibitura nitenti  
 2 alma parens, operi dum favet illa suo.  
 3 Inscia sed tantis conatibus obstitit Acme,  
 4 includens gyro lumina picta brevi.
- C\_153 v.1 Viderat hos oculos rerum natura creatrix  
 2 Gonzagae in digito saepe nitere duci.  
 3 Cum parvo obstupuit mentem perculsa lapillo,  
 4 quodque sui fuerat, credidit artis opus.

- 5 Mox ait, humana quantum nunc vincor ab arte,  
6 nil non mortalis jam dabit ista manus.
- C\_154 v.1 Nos quondam assiduis spargebat fletibus Acme,  
2 ingrati deflens tempora dissidii.  
3 Flammati sed nunc torremur pectoris aestu  
4 Gonzagae forti conspicienda manu.  
5 Profuit ergo istum lapidis sumpsisse rigorem,  
6 in saevas postquam sic datur ire vices.
- C\_155 v.1 Pluribus ut te oculis spectem pulcherrime rerum,  
2 quaeque tibi hac nitida sidera fronte micant,  
3 utque animum cara possim saturare figura,  
4 suggerit ecce mihi lumina bina lapis,  
5 quae tibi nunc fulvo decus exornavimus auro,  
6 pluribus ut spectes tu quoque nos oculis.
- C\_156 v.1 In gemmam expressos oculos dum clauderet auro  
2 Pulchra Acme, et Leuco mitteret inquit amans,  
3 saxea facta olim, saevisque exercita curis  
4 ipsa tui radio luminis obrigui.  
5 Ex lapide hinc oculos nostri monumenta doloris  
6 mittimus heu fato congrua dona meo.
- C\_157 v.1 Cum mala praecipitem traherent jam taedia lucis,  
2 optaretque Acme nil nisi posse mori,  
3 luminis in geminos ferrum converterat orbes,  
4 extimuit tantum cum scelus alma parens.  
5 In lapide huic fictos subjecit daedala ocellos,  
6 parceret ut veris effera luminibus.  
7 Nec mora, flammanti subsidunt pectoris irae,  
8 candidaque assuetus possidet ora color.  
9 Illa auro inclusos magni mox pignora amoris  
10 mittit amatori munera digna suo.
- C\_158 v.1 Catillum bello insignem et felicibus armis  
2 Alcidae magni genus, alto a sanguine Divum,  
3 rursus in antiquas ut providus excitet artes,  
4 et famae oblitos moneat melioris, et aevi,  
5 cum Turno socias junxere in proelia vires,  
6 Hippolytus muro hoc Medices atque aggere firmat.  
7 Ingruerit tum si qua olim fortuna, receptos,  
8 ut sit quo forti se se tutentur ab hoste,  
9 cetera forsque Deusque dabunt, et vivida virtus.
- C\_159 v.1 Naturae possunt quicquid miracula, et artis  
2 Mancinae picto Julius ore docet.



- C\_160 v.1 Mancinae aut facie caelo haec delapsa patenti est,  
2 aut aequat Superum Julius arte manus.
- C\_161 v.1 Vicinas quateret superbus urbes  
2 cum nuper maris arbiter, nec ullis  
3 Remi moenia cerneret petita  
4 quidam motibus, id quod esset, amens  
5 coepit numina saepius rogare  
6 idem ; cui pater aequoris, quietem  
7 noctu dum caperet, toro recumbens,  
8 ridens astitit, et locutus haec est :  
9 hoc, quod non solitum putas, novumque,  
10 id factum tamen haud scias inepte.  
11 Nam me cum omnibus in locis adesse  
12 uno tempore vix licere posset,  
13 essetque id nimium laboriosum  
14 totum muneris hoc mihi, quod ante  
15 injuncum voluit cohors Deorum,  
16 quidam nunc Juvenalis urbe tota,  
17 qui ad Pauli volitat latus frequenter,  
18 exercet, fateor, pererudite,  
19 quem nec segnities retardat ulla,  
20 ullus nec timor impedit, pudorque :  
21 is partes igitur meas tuetur.  
22 Quem si convenias, magis diserte,  
23 ac rem fusius explicabit omnem.  
24 His dictis abiit Deus, soporque.
- C\_162 v.1 Affixus roseis tuis papillis  
2 Neretus licet incubet, velitque  
3 tecum continuas jacere noctes  
4 inter nequitias beatiores,  
5 quarum praedicat esse te magistram,  
6 quam glubis probe, Romuli juvenus ;  
7 illum ni properans tamen remittis  
8 insulsissima moecha, duriores  
9 quas pendas subito, scias daturam  
10 te poenas mihi, Bentioque nostro,  
11 qui membrorior ut putatur, aequo  
12 mox in te arietet, et patientiorem  
13 Orci faucibus impiger malignis  
14 sic reddat, merito ut queas vocari  
15 pars cunni brevior tui puella.  
16 Quare putida tam bonum sodalem  
17 dicto, si sapis, ocius remitte,  
18 nam quantum est hominum venustiorum,  
19 nobis numina si benigna dedant,  
20 Neretum tamen optimum negarint,  
21 totum id continuo aestimemus assis.
- C\_163 v.1 Dum vos dolia, quae meus relevit  
2 nuper Blossius, extulitque cella  
3 quamprimum decuit remotiore,  
4 quo vos exhilaret, merique plenos

5 ad ludos revocet beatiores,  
 6 vos inquam ad solitas dapes vocatos,  
 7 Blosi dolia dum juvat potiri,  
 8 dum spumat pateris rubens Lyaeus,  
 9 et sudans balano nitet capillus,  
 10 dum rosa caput impedire par est,  
 11 vestrum ecquis veterem memor sodalem  
 12 absentem expetit, ingemitque fessum  
 13 morbi tabifico nimis veneno,  
 14 quod non Paeonii queunt liquores,  
 15 non Phoebus medicis potens repertis,  
 16 non Phoebi soboles, nec ipse Chiron  
 17 emissum Stygiis semel cavernis,  
 18 venis pellere ab intimis receptum.  
 19 Vobis quam faciles Dii obsecundant,  
 20 nunc contra omnia, commodisque vestris,  
 21 dudum quod video, libenter adsunt.  
 22 At convivium, me jacente posthac,  
 23 inter vos si agitare, fervidosque  
 24 indictis thyasis choros juvabit,  
 25 de mensa memores manu benigna  
 26 misisse, aut placeat bono sodali,  
 27 Savoiae aut liceat locum tueri  
 28 nostrum, dum rabies nimis molesta  
 29 festa nos prohibet madere luce.  
 30 Namque is Herculeo furens hiatu  
 31 obnixus est operam daturus omnem,  
 32 partes ne renuat suas, meumque  
 33 prudens qua pote munus administret,  
 34 sorbillans cyathos capaciores,  
 35 Silenum quibus impiger fatiget,  
 36 cujus consimilis solet videri  
 37 venis grandibus, et rubente naso.

C\_164 v.1 Urnam qui veteris vides catellae  
 2 concretae tenues, brevesque in artus,  
 3 mitis ne renuas favere lingua,  
 4 nam qui hoc exiguo solo recondit,  
 5 exemplum est Jovis optimi secutus,  
 6 quod ante Erigones polo refulget  
 7 ob summum Catulus decus, fidemque.

C\_165 v.1 Quidam nec minimo, Poeta naso,  
 2 nec sana satis eruditione,  
 3 incerto genitus miser parente,  
 4 gressu Flaminiam terit superbo.  
 5 Nec se quam sequitur gravis Quiritum  
 6 frontis percipit improbus querela.  
 7 Illi scilicet exfututa conjux,  
 8 verum insulsior omnibus puellis,  
 9 quam nunc faex populi procax fatigat,  
 10 seu mater pretio parata parvo  
 11 aegri carnificis torum subire,  
 12 hos addunt animos proterviores.  
 13 Me carpit clam igitur, measque nugas  
 14 vix assis putat esse faciendas :  
 15 at carpat licet usque et usque et usque,

16 assis nec faciat nihil laboro.  
 17 Quicquid vult potius cinaedus excors,  
 18 quam nobis iterum suos amores,  
 19 quos ludit calamo nimis cacato,  
 20 fessis auribus ingerat misellus,  
 21 ipsis vel ratibus parum ferendus,  
 22 quae flavi prope Tibridis retentae  
 23 litus sordidulis vadis quiescunt.

C\_166 v.1 Qui nunc pampineis frequentor umbris,  
 2 et cultu nitidus recentiore  
 3 hortis, legitimisque praediisque  
 4 Farnesi puta, Ghissiique ditis  
 5 jam me consimilem reor vocari ;  
 6 famosa modo sordidus taberna  
 7 spinis undique, vespribusque acutis  
 8 silvescens, sterili solo rigebam.  
 9 Huc tantum madidus mero fututor,  
 10 frigeret puto forte cum lupanar,  
 11 scortorum agmine cinctus impudico  
 12 ad molles choreas pedem ferebat.  
 13 At nunc limitibus repente sectis,  
 14 mollito gremio, et sinu subacto,  
 15 cum cepis ubi sectilique porro  
 16 communis mihi, villicoque haberi  
 17 jam coepta est ratio, rubusque vulsus  
 18 quantum et caricis affuit malignae  
 19 flammis, assiduaque fossione,  
 20 qui nuper fueram salax taberna,  
 21 herbesco domini nitente cultu,  
 22 et crebra petor irrigatione.  
 23 Sic me quae celeri quatit rotatu  
 24 ex libidine, proteritque cuncta  
 25 fors jussit nitida virere fronde.

C\_167 v.1 Vos o Pegasidum quibus sororum  
 2 dudum virginei patent recessus,  
 3 quamvis in sibi sede dedicata  
 4 nondum constiterit pater Priapus,  
 5 custos exigui Priapus horti,  
 6 bini deliciasque villulamque,  
 7 cujus nunc opera fugatis aestum,  
 8 et solis radios potentiores  
 9 vite excluditis arte conjugata,  
 10 ad caelum placido vocate versu  
 11 qui non fecerit, aridus Poeta  
 12 collatum sibi Granium repente,  
 13 nec non Britoniosque Casiosque  
 14 saeculi incommoda, pessimos poetas  
 15 cultos sentiat omnibus Marones,  
 16 magnos seu potius videri Homeros.

C\_168 v.1 Quam bene consuluit terrarum Juppiter orbi,  
 2 communis solii cum tibi jura dedit,  
 3 scilicet ex illo dominatus, Paule, superbos

- 4           desiit, et rerum est urbs tua facta potens.  
 5       Et quae vincla ferox nobis jam Turca ferebat,  
 6           haec timet ad Nili territus ille caput.  
 7       Jure igitur festas sumit tibi Roma corollas,  
 8           et revocat votis hunc sibi saepe diem.
- C\_169    v.1       Italiam innumeris peteret dum Turca carinis,  
           2           subderet ut turpi te quoque Roma jugo,  
           3       Tarpei invigilans summo de culmine saxi  
           4           audaci Paulus pectore tela capit.  
           5       Pro Latio Paulus, pro sacris Juppiter aris  
           6           imperio steterunt nixus uterque pari.  
           7       Nec mora, projectis diffugit Barbarus armis,  
           8           nostraque sic gemino est terra recepta Jove.
- M170     v.1       Farnesi aspiciens silvis Cytherea sub altis  
           2           immites jaculo procubuisse feras,  
           3       "Nate, ait, hac frustra sternuntur rura sagitta,  
           4           sunt hominum telis corda petenda tuis.  
           5       Mox ut Alexandri patuit decus, inclyte, dixit,  
           6           quam juvat hoc falli saepius ore, puer."
- C\_171     v.1       Farnesi quod victus equis Zephyrusque Notusque,  
           2           et cedit Boreae vis animosa trucis,  
           3       hanc sibi praecerpunt laudem non Thessala tellus,  
           4           non Numidum infreni nobilis ora grege.  
           5       Illis sed faciles praebet victoria cursus  
           6           aurigae vultu dissimulante Deam.
- C\_172     v.1       Farnesi Pallas cursus dum spectat equorum,  
           2           Neptunum his contra vocibus orsa dea est :  
           3       "Si tibi prima ferum fudissent litora talem,  
           4           hasta mea haec magno victa tridente foret."
- C\_173     v.1       Armenia rapto si quis de Tigride fetu  
           2           optat inoffensa praeproperasse fuga,  
           3       illam non speculi radiantis imagine fallat,  
           4           Farnesi volucres sed moderetur equos.
- C\_174     v.1       Regis equos natura parens connixa volucres  
           2           Farnesi, tales mox dedit ore sonos.  
           3       "Vivite vos mihi jam tandem spes ultima partus,  
           4           quis similes posthac mi peperisse nefas."
- C\_175     v.1       Hos si vidisset muros ferus Hannibal olim,  
           2           fudisset tales ore tremente sonos.  
           3       Imperii domus alta, tibi jure omnia cedant

4 arma, decet gentem vincere Marte satam.

- C\_176 v.1 Durior ingruerit casus si forte, recepti  
 2 Aeneadae patrias quo tueantur opes,  
 3 aeternam Paulus firmavit moenibus urbem,  
 4 et dedit externas temnere posse minas.  
 5 Barbare cede hostis, susceptaque tela reconde,  
 6 et noris moles has posuisse Deum.
- C\_177 v.1 Cingeret aeternam Paulus cum moenibus urbem,  
 2 his oculos summa dejicit arce Pater.  
 3 Et subito eductas miratus surgere moles,  
 4 talia divino pectore dicta refert.  
 5 Cum caelum quateret bello Titania pubes,  
 6 his Superum potuit non timuisse cohors.
- C\_178 v.1 Qui modo tela inter durique incommoda Martis  
 2 bellator properans castra sequebar equus,  
 3 numine Paule tuo pacatis undique terris  
 4 vinclorum oblitus per loca sola vagor.  
 5 Jam mihi praeduri mollescunt corporis artus,  
 6 militiae postquam munera dura silent.  
 7 At diducta iterent Parcae tibi stamina Terti,  
 8 tam laetos orbi qui facis ire dies.
- C\_179 v.1 Armorum oblitus Caesar quod Gallica visit  
 2 regna, peregrino nescia Marte premi ;  
 3 quodque animo ponit Gallus, quod foedera jungit,  
 4 et prius invisae commoda pacis amat ;  
 5 muneris omne tui, Paule est, quo sidera dudum  
 6 aurea tergemino vertice nixus adis.  
 7 Hortatus meminere tuos, meminere labores,  
 8 quos terra nuper pertulerisque mari.  
 9 Crede mihi, praesens amborum mentibus haeres,  
 10 et nondum excussus pectore vivis adhuc.
- C\_180 v.1 Quod solitus cursu volucres praevertere ventos  
 2 haeserit urbano carcere missus equus,  
 3 non hoc effetae vires, tenuataque membra,  
 4 efficit aut pigro tarda senecta gelu ;  
 5 sed tu dum Morinos superas celeberrime saltus,  
 6 et summota Italis solibus arva petis,  
 7 Farnesi, optatos palmae contempsit honores,  
 8 scilicet et numen sensit abesse tuum.  
 9 Publica quid mirum si te jam vota requirunt,  
 10 absens quando ipsis es quoque cura feris.
- C\_181 v.1 Dum canibus silvas urget Farnesius acer,  
 2 saetigeri latebris delituere sues ;

- 3 nempe illos qui saepe Venus te decipit, anceps  
 4 elusit falsis error imaginibus.  
 5 Ergo cupidineis fierent ne praeda sagittis,  
 6 cognita communi lustra timore petunt,  
 7 unius ob noxam memores, quae fletibus antra  
 8 implerit scissa Cypria pulchra coma.
- C\_182 v.1 Herculis invicti nomen tibi fata dederunt,  
 2 teque unum populis tot voluere Ducem.  
 3 Facta Dei ut superes victor, verumque laborem,  
 4 conficiens telis horrida monstra tuis.  
 5 Te miseros servasse velis, monstrisque fugatis  
 6 semineces vitae restituisse juvet.  
 7 Livor edax, pestis quo non immanior ulla  
 8 irruit, et rabido viscera dente petit.  
 9 Aut igitur lapsis succurras optime rebus,  
 10 aut captum Herculeis laudibus esse nega.
- C\_183 v.1 Desecto donec placentur gutture manes,  
 2 et conspersa tuo sanguine roret humus,  
 3 haec memorans rapidus laxatis fontibus amnis  
 4 murmurat, et venas evocat inde truces.  
 5 Insonuere omnes silvae, collesque propinqui  
 6 testati luctum quo potuere sono.  
 7 Omnis eo terrore tremens diffugit Iberus,  
 8 nudaque sunt Gallo castra relictata Duci.
- C\_184 v.1 Antoni Cleopatra dapes, et pocula lusit  
 2 femina Romano Barbara nupta viro :  
 3 immensi pretii nivea pendebat ab aure  
 4 gemma Dionaeo sidere clara magis ;  
 5 liquitur haec, madido coram potanda marito ;  
 6 haustus ut innumeras hauriat unus opes :  
 7 ambitiosa magis res est formose labellis,  
 8 dulcia Lygde tuis oscula ferre semel :  
 9 praterea si quid cupido praebebis amanti,  
 10 gaudia caelestum posthabiturus ero.
- C\_185 v.1 Tyrannus Oedipus Sophoclis altera est  
 2 Latina facta Paccio tragoedia  
 3 modis, nitore, ita Attice, quid amplius ?  
 4 Uter sit auctor hic, an ille, ut ambigas.
- C\_186 v.1 "Si pietas, si fama tibi, si fidus amator,  
 2 si soboles cordi est, obsecro, Nympha mane."  
 3 Saepius haec repetens implebam questibus auras,  
 4 reddebant valles undique, "Nympha mane".  
 5 Illa quidem addiderat plantis exterrita pennas,  
 6 et ventos ibat cursibus ante leves.  
 7 Tunc veluti fulmen (stimulis amor acribus urget)  
 8 ut rapidus turbo, plenus ut amnis agor.

9 Ne spoliis autem potiar jam victor opimis,  
 10 et praedam digitis maestus abire sinam,  
 11 forte puellarum sese chorus obuius offert,  
 12 aureus exactis imbribus annus erat.  
 13 Et Gallam excipiunt alacres, Gallamque salutant,  
 14 quid trepidet, quaerunt, cur sit anhela, rogant.  
 15 Nec mora, cum primum nitidis designor ocellis,  
 16 in mea terribiles unguibus ora volant.  
 17 Parce Venus, fugio laceri non immemor Orphei,  
 18 novit supplicii femina nulla modum.

## DE MORTE TOTII

C\_187 v.1 Ardebat, venis ingens, et vulnus alebat  
 2 Totus, et insani Totus amoris erat.  
 3 Seque, suamque animam pulchrae donarat amicae,  
 4 quicquid fortunae, quicquid habebat opum.  
 5 A qua cum varia falli se nosceret arte,  
 6 nec posset strictis solvere se laqueis ;  
 7 finivit laqueo vitam, non ut sibi vitam,  
 8 quae sua jampridem non erat, arriperet ;  
 9 verum ut quod dederat dono spoliaret amicam,  
 10 illius et vitae nescio quid raperet.  
 11 Felix morte fuit, quoniam tunc mortuus, est cum  
 12 nil potuit vitae perdere, nil animae.

## DE MORTE EIUSDEM TOTII

C\_188 v.1 Nemo potest veri laqueos, vir magnus amoris  
 2 sic licet, admoto solvere ni laqueo.  
 3 Exemplo est Totius, qui cum non viribus ullis,  
 4 non prece se posset solvere, non pretio ;  
 5 et laqueo laqueos, et vinclis vincla resolvit,  
 6 o magni vires pectoris, atque animi !  
 7 Sic potius strictos voluit dissolvere nodos,  
 8 quam strictum nodis vivere perpetuis.